


00 1/2



ind

1711
1712
1713
1714





incl.

L. 2. 13.



D E T L E V I
L A N G E B E K I I
H A M B U R G E N S I S I V -
R I S C O N S V L T I

in

*LEGES ALIQUOT PERDIF-
ficiles, & nondum satis intellectas,
novæ annotationes.*

A C C E S S I T R E R V M E T V E R -
B O R V M I N I I S D E M P R Æ C I -
pue memorabilium Index.

Recensuit

I O A C H I M V S C L V T E N P A R C H I -
mensis Megapolitanus.



F R A N C O F V R T I,

Ex Typographeo M A T T H I Æ B E C K E R I, *sum-*
ptibus P E T R I M V S C V L I & R V -
P E R T I P I S T O R I I.

Anno M. DC. IX.

inck

GENERIS NOBILITATE, DOCTRINA, VIRTUTUMQUE ORNAMENTIS PRÆCLARO VIRO, HENRICO RANTZOVIO, Ioan. Equit. aurat. F. inclyti Regis Daniæ in partib. Holstæ vicario, DETLEVVS LANGEBEKIVS S.

QUAM graue existimationis onus sibi imponat (uir nobiliss.) qui commodo Studioforum consultum uolens, publico scripto se quicquam in eorum gratiam, cuius præsens & expedita sit utilitas, prolaturum testatur: & ipse non sine dolore expertus sum. Cum enim superioribus annis, de textu Iuris Ciuilis singulari ac mirabili quadam ratione numerarijs notis illustrando, perfectoq; Indice conficiendo, ad Franciscum Balduinum I. C. eius postulatu scripsissem: mirum quam auide, obuijsque (ut aiunt) ulnis, ea res protinus à studiosis & excepta & desiderata fuerit. Quare & multi docti uiri, me

a 2 fre-

EPISTOLA

frequentibus literis, non solum admone-
re, sed & urgere, atque etiam tarditatem
(ut existimabant) meam, paulo acerbius
incusare, non destiterunt. cum enim sum-
mam eius rei commoditatem intellige-
rent, uix quisquam erat, qui nō & pridem
absolutam esse, & iam in publico appare-
re cuperet. Quæ nimia, atque etiam iniu-
sta multorum festinatio, quam grauis mi-
hi haftenus fuerit, uix uerbis explicare
possim. Videbam enim eos, tum pondus
ac magnitudinem rei non satis considera-
re: tū leuius paulo, de incredibilibus meis
laboribus iudicare. Ut taceam de illis, qui
ob tam longā (ut ipsis forte uidetur) mo-
rā, de exitu desperantes, impossibile quid-
dam, ac quod nunquam proditurum sit,
me tentasse, inuidiosius existimant. Ut au-
tem constare possit, nullam mihi merito
negligentiæ ac cessationis culpam adscri-
bi posse, nemoque adeo ob paucorum an-
norum moram desperādum putet, eaque
de causa mihi quicquam detrahat: consti-
tui hac Epistola, studium ac diligentiam in
ea re meam, paucis declarare. Plane au-
tem confiteor, sancteq; affirmo, me, quan-
tum quidem per necessaria negocia licet,
nihil mihi dare uacui temporis, omnibus-
que

DEDICATORIA.

§

que adeo neruis absoluendo operi incum-
bere. At quanti, & quam infiniti prope la-
boris res sit, ipse haftenus satis expertus
sum, & adhuc summa cum molestia sen-
tio. Atque utinam hoc quadriennio Cor-
pori iuris uacare licuisset: iam pridem &
absolutum, & prælo commissum fuisset.
Sed quia multis doctis uiris placebat, ob
magnam, quam prætendebant, studioso-
rum utilitatem, me prius ipsum Indicem
aggredi, & qua possem cura conficere:
non potui eorum iudicio ac uoluntati non
acquiescere. Cum autem is iam Dei bene-
ficio ad finem perductus sit, solusque mihi
& exscribendi, & in ordinem redigendi
labor restet: dici non potest, nec à quo-
quam facile credi, quantum & hic tædij,
atque improbæ molestiæ feram. Incredi-
bilis est enim rerum cumulus ac multitu-
do: singulaque non tantum minutatim
ac scrupulose colligenda, sed & omnia
mea unius tantum opera ac manu pera-
genda. res enim non patitur, me cuius-
quam ope atque auxilio in ea re uti. Qua-
re non est quod studiosi tam anxia expe-
ctatione se crucient: breui haud dubie fi-
dem meam apud eos, etiam cum fœnore,
liberaturus sum: habebuntque rem stu-

dijs suis supra modū aptam, commodam
atque vtilem; & cuius mihi, si candidi esse
volent, perpetuo gratias agent. Cum au-
tem, Nobiliss. vir, huic rei iam annis plus
minus quatuordecim, assidue vaco, & ma-
gna cura atque intentione Textus Iuris
ciuilis scrutor; incidi plerunque in LL.
quasdam, in quibus explicandis Accurs.
atque alij, mihi non nihil à scopo aberrare
videbantur. quare temperare mihi non
potui, quin protinus, vt quæque offere-
bantur, arrepto calamo, obiter memoriæ
causa, quid mihi in illis sententiæ esset,
annotarem. Cum igitur eiusmodi An-
notationum satis magnum numerum in
aduersarijs haberem; libuit hoc tempore
ex illis nonnulla tantum capita, non qui-
dem præcipua ac selectiora, sed vt forte
occurrerunt, in publicum proferre; tum,
vt studiosis noui aliquid obijcerem; tum,
vt aliorum ingenia ad similia tentanda
excitarem. Quam enim utilis expurgan-
do ac restituendo Iure ciuili, in quo tam
multos & insignes viros tanta cum laude
sudare videmus, hæc res sit, nemo haud
dubie erit qui negare audeat. Nam licet
in speciem leuior paulo multis videri pos-
sit; tamen fructu atque utilitate facile
mul-

multorum, in cumulatione allegationum ac materiarum operosos labores vincit. Ipso enim textu vel deprauato, vel perperam & non recte intellecto, non video quid certi ac sinceri de iure responderi possit. In confesso est enim omnes omnium disciplinarum errores & corruptelas, inde primum originem sumpisse. Et quamuis cum illis minime ipse comparandus sim, tamen utique studium & conatum in ea re meum, non improbatum iri existimo. Quid enim prohibet, me, licet tenuiorem, post tantorum virorum terga, spicas illectas colligere? Cum vero non is sim, qui statim mea pro certis atque indubitatis habere cupiam; eo facilius, si in quibusdam (ut sunt humana) & ipse forte lapsus sum, me veniam impetraturum confido. Licet autem conuenerat pleraque copiosius paulo esse explicata; tamen in presentia ocij mei non fuit, prolixius ea exequi; malui igitur nudius ac simplicius omnia proponere, ut foelicioribus ingenijs plenius & inuestigandi & tractandi occasio superesset. Nemo enim vnus simul omnibus sufficere poterit.

2 4

Cum

Cum autem hæc mea, ob nouitatem, & censore & patrono opus habere iudicarẽ: tu mihi, Vir nobiliss. cum ob generis claritatem, singularemque eruditionem (rarum admodũ inter nobiles donum) tum etiam eximiam humanitatem, ut de fortunæ ampliss. bonis taceam, præ cæteris in mentem uenisti, cui hoc quicquid est exigui scripti dedicarem. nec enim mihi ad omnia te opportunior hoc tempore occurrere potuit. Quare non dubito, quin, qua es virtute, eruditione, humanitate atque intelligentia, hæc mea & ad iudicandum, & ad defendendum benigne suscipere velis. Ac quamuis hoc loco de tua, generisque tui nobilitate & virtutib. amplius commemorandi magna esset occasio; tamen quia (ut audio) Pierides res patris tui breui meritis encomijs ornabunt, ipse huic rei supersedere constitui. Vale, uir modis omnibus laudatissime; ac me tibi commendatum habe. Hamburgi

12. Id. Mart. Anno à nato Christo,
M. D. LXIV.

9
LEGVM ET §. QVÆ SIN-
gulis Capitibus explicantur,
Elenchus.

<i>Noua ac vera explicatio l. Filius à patre. in princ. de Lib. & posthu.</i>	Cap. 1.
<i>Verus sensus l. periculi precium. De nautico scenore.</i>	2
<i>Alio sensu declaratus §. si inter virum. l. cum hic status. De donatio. inter vir. & vxor. quam ab Accurs. vel alijs factum sit.</i>	3
<i>Vera species leg. dotale pradium cuius. De fundo dotali.</i>	4
<i>Alium esse sensum l. si quis ita heres. De hered. inst. quam hæctenus vulgo existimatum sit.</i>	5
<i>Doctores hæctenus non intellexisse l. 2. rem ratam habe. Vera igitur eius species proposita.</i>	6
<i>Alio sensu explicata l. qui plures heredes. De vulg. & pupill. sub. quam hæctenus factum sit.</i>	7
<i>Male ab Accursio intellectum esse §. sed etsi vnus. l. 2. De pratorijs stipula. Quare vero sensu declaratus.</i>	8
<i>Perperam hæctenus intellectam leg. Proculus. cum princip. leg. seq. De negocijs gestis. Alio igitur & vero sensu declarata.</i>	9
<i>Vero intellectu conciliata l. 8. De prator. stipul. cum l. inter. Qui satisd. cog.</i>	10
<i>Quæ sint vera rationes dubitandi in §. vlt. l. cohæredi. De vulga. & pup. substit.</i>	11
<i>Emendatus & declaratus §. à filia pater. in l. cum pater filios. De legat. 2.</i>	12
<i>De intellectu §. si Titius. l. si fundum sub conditione. De legat. 1. contra Accurs.</i>	13
<i>Vera species §. 1. l. si alij vsus. De vsufruc.</i>	14
a 5	L. 16.

L. 16. & l. vlt. ad S. C. Turpilia. aliter quam ab Accurs. factum sit, declarata.	15
Aliam esse sententiam Iuriscons. in §. pater filium. De le- gat. 3. quam Accurs. crediderit	16
Quid apud Iurisconsultos sit, Male agere: item, Nihil a- gere, contra aliorum sententiam	17
Vero sensu explicatus §. 1. in l. 32. De usufruct. legato. reie- cta Accurs. interpretatione	18
In §. sin vero filius. l. quesitum est. De peculio. quedam ali- ter explicata quam ab Accurs. factum est.	19
De abscisso & pendente iure filij, in §. si filium. l. 9. De li- ber. & posthu.	20
Conciliatio leg. si quis in legatione. De iudicijs, cum §. 1. l. eum qui. De constit. pecunia.	21
Explicatio illorum verborum, quibus Vlpianus in l. 1. §. ideo autem. De exercito. dicit, in re dubia melius esse verbis edicti seruire.	22
Vera species §. item si messes. in l. fructus. Solut. matrim. prater aliorum sententiam explicata.	23
De intellectu leg. 4. De manumiss. testamento. declara- tio.	24
Vera species l. 2. C. de conditionib. insertis.	25
Verus intellectus leg. 44. Ad leg. Falcid. contra Accur- sium.	26
Vera explicatio §. vltim. in leg. 3. De heredibus insti- tuen.	27
Vtilis ac commoda interpretatio l. si filiusfam. Ad l. Falci. qua ostenditur, quomodo veterum Iuriscons. argumentatio- nes explicandæ.	28
Duobus locis Accurs. non satis sententiam Iuriscons. per- cepisse, atq; aliud quam voluerunt interpretatum.	29
De diuisione stipulationum.	30
Vera	

II

Vera species ac sententia §. i. l. cum secundis. De his que ve indig. aufe.	31
Dilucida explicatio l. si seruo. De adimendis legat.	32
De intellectu l. si quis testamento. De statu liber.	33
Commoda explicatio l. Plautius. Ad l. Falcidiam.	34
L. Marcellus. De in rem verso, aliter quam ab Accurs. fa- ctum sit explicata.	35
De certis & incertis contractibus admonitio.	36
Noua ac probabilis explicatio §. Cato. in l. 4. De verb. ob- liga.	37
Verus intellectus leg. cum dominus. in princip. De pecul. lega.	38
Correctus ac restitutus §. vtrum. in l. si is qui ducenta. De rebus dubijs.	39
Noua ac vera explicatio §. forsitan. in l. Gallus. De liber. & posthu.	40
De capitibus l. Velleia, & que illis ad perfectam senten- tiam deesse videantur.	41
De intellectu §. vtrum. in l. Gallus.	42

ELENCHI CA-
pitum Finis.

DETLE.

DETLEVI LANGEBE-
KII IN LEGES ALIQVOT
difficiles, & nondum satis intelle-
ctas, Annotationes.

NOVA AC VERA EX-
*plicatio L. Filius à patre. in princ.
De liber. & posthum.*

CAP. I.

RIPHONIVS lib. xx. Di-
sputationum; Filius à patre,
cuius in potestate est, sub cō-
ditione, quæ non est in ipsius
potestate, hæres institutus, & in defectum
exhæredatus, decessit; pendente etiam
tum conditione, tam institutionis quam
exhæredationis. Dixi, eum hæredem ab
intestato mortuum esse; quia dum vixit,
neque ex testamento hæres, neque exhæ-
redatus fuit; hærede autem scripto ex par-
te filio, cohæres post mortem filij institui
potest.

Filius, sub conditione, quæ non est in ipsius po-
testate, institui potest, si modo sub contraria condi-
tione exhæredetur, hoc scilicet modo:

Si Titius cōsul fuerit factus, filius meus
hæres

hæres esto; si non fuerit factus, exhæres esto.

Cum ergo talis institutio atque exhæredatio consistat, *l. 4. de institut. & substitut. l. iam dubitari. infra de hered. institut.* quæri potest: Num, si moriente filio, etiam cum pendeat conditionis vel euentus, vel defectus, valeat utique tale testamentum, nec filius patrem intestatum facere possit. Quod videbatur: cum talis institutio atque exhæredatio rite facta sit, & ab initio utiliter constiterit, omninoque necesse sit alterutram conditionem quandoque existere: *l. 60. in fin. princ. de condic. indeb. l. 8. §. si ita. de periculo & commod. rei empt. quæ necessitas & in causa est, quod talis forma instituendi recepta & admissa fuit.* Sed tamen Triphoninus aliud decidit: scilicet, hunc filium morte sua patri ab intestato hæredem fuisse, nam cum in tempus mortis eius, tam institutionis quam exhæredationis conditio pependerit: in vita sua, ex testamento, neque hæres, neque exhæredatus fuit: quare morte eius testamentum nullius esse momenti apparuit. Quasi enim præteritus iudicandus est, cuius in vita neque institutionis neque exhæredationis conditio extitit. Quamuis enim verum sit, alterutram conditionem omnino extitutam: tamen necesse est id ipsum viuentem adhuc filio fieri: *l. vnica. §. sin autem aliquid. C. de cadu. toll. ut certa extet causa, quia vel institutus vel exhæredatus sit: l. 18. de bonor. poss. contra tab. alias totius testamenti ius concidit.* Causa enim ex qua quid vel valeat, vel debeat, præcedere semper debet: *l. huiusmodi. quand. dies legati ced. non enim*

enim sufficit, omnino quid esse futurum, nisi & in
vita eius extet, cui ius aliquod inde quæri debet:
d. §. sin autem aliquid. Nam quemadmodum in lega-
tis, si alicui, siue illud factum fuerit, siue non lega-
tum sit: quamuis certum sit, alterutrum omnino
futurum, tamen vt eius legatario cedat dies, ne-
cesse est alterutrum casum viuo legatario extare:
alias si pendente vtroque casu decesserit, *dict. leg.*
huiusmodi. nihil ad hæredem transmittet. Sic & in
suprascripto casu: nisi viuento filio alteruter ca-
sus euenierit, nulla fuisse videbitur causa, ex qua va-
luisse testamentum iudicari possit, pendente e-
nim vtraque conditione, non est verum, filium
in vita vel institutum vel exhæredatum fuisse. Nam
quod pendet, non est pro eo quasi sit. *leg. is damnun-*
dat. §. 1. de regul. iuris. ad quam decidendi ratio-
nem pauci respexerunt. Quid autem, si huic fi-
lio substitutus datus sit? Et in potestatiuis con-
ditionibus verum est, *leg. suis quoque. §. vltim. de hæ-*
redibus instituendis. si filius in tempus vsque mor-
tis conditionem trahat, nec impleat, morte eius
substitutum admitti: & quandoque etiam viuen-
te adhuc filio, nempe si talis sit conditio, quæ
ultimo vitæ momento impleri non possit. *leg. vltim.*
de condit. institut. At nostro casu dubium admo-
dum est, num substitutus aliquo casu admitti pos-
sit. Nam siue in casum exhæredationis, siue in
casum institutionis, substitutionem considere-
mus, non videtur ei locus esse posse. Ac primo,
quantum ad institutionem, substitutio filio facta,
non eo loco est, quasi si extraneo facta esset. In
extraneo enim nihil refert, quomodo impedia-
tur,

tur, cum eo quocunque modo sublato, & siue non potuit, siue noluit hæres esse, *leg. 3. Cod. de hæred. institut. ibi Dd.* in locum eius recte substitutus vocetur. In filio autem, qui sub fortuita conditione institutus, & in defectum eius exhæredatus est, & pendente utroque casu decessit, longe aliud est. Nam cum in tempus usque mortis eius, nulla extiterit causa, ex qua potuerit hæres esse, substitutus ex capite institutionis nullo modo admitti poterit. Ut enim testamentum valeat, necesse est filium ita institui, ut in potestate & arbitrio eius omnino sit, velit hæres esse, nec ne: quod in proposita specie non est. Nam quamvis à principio recte institutus fuerit: tamen exitus declaravit, eum, etiamsi maxime voluisset, nunquam potuisse esse hæredem: *leg. eius est nolle. de regulis iuris leg. 4. de acqui. hæred.* quare non mirum, si morte eius talis institutio irrita fiat, nec per hoc substitutio locum habere possit. Principali enim destructo, nec quod ex eo pendet, subsistit. *gloss. in verbo pertinere. leg. si posthumus. de liber. & posthum.* Exhæredationis autem nomine inutilem fuisse substitutionem, indubitati iuris est: cum nusquam relatum sit, exhæredato, præterquam pupillo, in ipsius scilicet bonis, substitui posse. *§. non solum. instit. de pupill. substit. l. 1. de vulg. & pupil. sub.* In bonis enim testatoris scripto hæredi, & in defectum institutionis substituendum est: *dict. leg. 1. ibi gloss.* alias à substitutione inciperet testamentum, *l. 2. in fi. de vulg. & pupill.* & inepte hoc nomine appellaretur: præsertim cum & ipsa exhæredatio, non secus atque institutio, ex defectu conditionis irrita fuit, nec effectum habuit. Nullus ergo

ergo casus in proposita specie utilis inuenitur, quò substitutio locū habere potuit. Nec est quod Dd. dicunt, ad sustinendum testamentum, & exhæredationem in eo factam, necessario præsupponendum esse, saltem substitutum aliquem fuisse adiectum, cuius aditione confirmari potuerit exhæredatio: nisi enim ex testamento adeatur hæreditas, exhæredatio nullius est momenti. *leg. filium quem. de bono.poss. con. tab.* Quod enim de confirmatione dicitur, in exhæredatione principaliter facta, & quo ad eius effectum, verum esset: nostro autem casu, de exhæredatione in consequentiam tantum facta, & vt institutio recte concepta intelligatur, agitur: nec de eo quæritur, num exhæredatio effectū habere potuit: sed num institutio recte scripta fuit, ac per hoc testamentum interim valuit, quod ex adiecta exhæredatione probatur. Nec ad sustinendam hanc exhæredationem quicquam potuit substitutio, quæ & in casum exhæredationis (vt supra dictum est) non potuit habere locum, cum quo ad validitatem testamenti, institutio & exhæredatio per se suffecerint: in quo omnes Dd. quotquot ferre sunt, admodum falli constat. Valuit enim testamentum absque vlllo vel cohærede vel substituto, vsque in tempus mortis filij: eius autem morte, tam institutio quam exhæredatio, ac per hoc totum testamentum corruit, nec cohæredis vel substitutione sustineri potuit: quod tamen quidam nimis absurde volunt. Cum enim in vita eius nec institutionis nec exhæredationis conditio extiterit: perinde est, ac si omnino præteritus fuisset. Patrem ergo tantum moriendo, si neutra conditio eo

vivo

viuo extitisset, intestatum facere potuit, non ante: quod forte patri satis fuit. Si vero viuo filio institutionis conditionem extitisse proponeremus, tum quidem sustineretur cohæredis vel substituti datione testamentum: & si non esset filius hæres, substitutum vel cohæredem admitteremus. At si exhæredationis conditio euenisset, cohæres quidem admitti posset, confirmareturque eius aditione exhæredatio: substitutus autem nullo modo, nisi cohæredi filij substitutum poneremus. Quomodo enim exhæredato quis substitutus intelligi possit? cum priuatio necessario præsupponat habitum, *l. decem. cum similib. de verb. obligat.* nec casus exhæredationis substitutioni conueniat: præterea cum & ex hac substitutione, exhæredato in ipsius scilicet bonis facta, testamentum patris, quod omnino necessarium erat, confirmari non potuit. *leg. 10. § si ex asse. de vulga. & pupill.* Sed cum supra dictum sit, ob vtramque conditionem pendente, morte filij testamentum irritum fieri, nec substituti vel cohæredis datione sustineri: quæri poterit, num aliquo casu vel remedio testamento subueniri possit, vt post mortem filij valeat. Et respondet Triphoninus: *vers. hærede autem pro parte.* id quidem fieri posse, si filius pro parte sub conditione fortuita sit hæres institutus & sub contraria conditione exhæredatus: & illi pure cohæres datus, qui & præterea post filij mortem hæres scriptus sit. Illo enim casu, licet filius pendente vtraque conditione decedat, sicque testamentum morte eius concidat: tamen quia cohæres, & post eius mortem hæres scriptus est, sustinetur testamentum. Idque fauore testatoris, qui sal-

b

tem

No. CIRC.

tē post mortē filij, hæredem habere possit: *arg. l. 42. in princ. vers. quæ sententia. de acquir. hæred. quem viuē. e filio, quamdiu neutra conditio extitit, habere non potuit, nec etiam voluit. Constitit enim testamen- tum à principio, recteque factum fuit, & licet mor- te filij, ipso iure destituatur: tamen quia nullam id filij ipsius vtilitatem respiciat, ac post eius mortem contingat, l. vlt. ibi Neque enim filius. de condit. instit. fa- cile est vt ex noua testatoris dispositione, post mor- tem filij collata, sustentetur. Ex quo & notari po- terit, facilius quid in continuatione eiusdem per- sonæ admitti, quam si noua persona adiiciatur. l. 1. in fi. C. de liber. præte. l. penult. §. sed si ego. de iniusto rup. irri. l. cohæredi. §. cohæres. de vulg. & pupill. C. de loca. prædij ciuil. l. 5. vers. sane quia. Nec nouū est in iure, vt quis post mortem filij, etiam simpliciter exhæredati, institui possit. l. qui filio. in prin. de hæred. instit. d. l. vlt. in fi. de cond. inst. Et quāuis eo casu in extraneis omnino necesse sit, & à principio aliquem institutum, cuius aditio- ne confirmetur exhæredatio: d. l. qui filio. ibi. ex parte. d. l. filium quem. de bon. poss. cont. tab. tamen in nepotib. ex filio, ob ius scilicet potestatis in vtrisque; & quod omni casu bona auita & paterna ad eos sunt peruē- tura, l. venter. in fi. l. filius qui se. ibi gl. de acqu. hæredib. eo plus esse videtur, vt tunc à principio instituto hære- de non sit opus. Quod Papiniani verba aperte indi- cant. d. l. vlt. in fi. de condit. instit. diserte enim dicit. Ex- hæredato filio nepotes, cum filius moreretur, posse institui: nec obstare hunc filium nepotibus, quo minus post eius mortem, ex testamento aui hære- des sint. Atque hoc sensu multæ Dd. intricatio- nes cessabunt. Primum enim insulsum est, quod
 de sub-*

de substitutione filio facta adferunt, illaque exhæredationem confirmari volunt, siue enim institutionis conditio extiterit, euanescit exhæredatio, nec confirmatione indiget: siue exhæredationis casus euenerit, substitutio non habet locum: tantum abest ut per eam exhæredatio confirmari possit, pendente autem utraque conditione, quomodo nuda expressione substitutionis, exhæredationem confirmari ac sustineri, dicere possumus? Deinde absurdum est, quod exhæredationem à substituto factam, cum ea quæ sub contraria conditione institutionis fit, ubique confundant, de vna ad aliam argumententur, ac quasi pro paribus accipiant, cum nimium inter eas intersit? Illa enim propterea fit, ut gradus, si ad illum hæreditas perueniat, consistat: *leg. 3. §. vlt. l. 8. supra, hoc titul. leg. si libertus sub. §. existimo. de bo. liberto.* hæc autem, ut institutionis forma, quam sibi testator eligendam putauit, valeat, testamentumque interim sustineatur. Sic nec illa sub conditione fieri potest, *dict. leg. 3. §. puer.* hæc autem utique: *leg. 4. C. de instit. & substitut. sub condit. & hac nostra lege.* ut taceam, quod & extraneus sub contraria conditione exhæredari possit, *l. 44. de hered. instit. l. 17. §. si eodem. de milita. testa. l. 41. §. heres vel lega. de legat. 3. l. 27. ad leg. Falcid.* cum si principaliter fieret, inepta esset: *l. 14. §. vltim. de liberis & posthumis l. quidam cum filium. de verb. oblig. nec ut illa, quo ad suum effectum, necessario substituti aditionem requirit, ita & hæc. Illius enim primarius finis est, exclusio ab hæreditate: quæ, nisi adita à quoquã hæreditas fuerit, fieri nõ potest: *d. l. filium quem de bon. pos. con. tab.* huius autem, ut institutio sub-*

fortuita conditione concepta, interim valeat. nam quo ad eius effectum, (vt sæpe dictū est) nihil subiuncta substitutio operari poterit. Præerea inconueniens admodum est, **POST MORTEM FILII**, pro moriente filio, & **INSTITVI** pro substitui exponere: qua expositione totus textus corrumpitur. Nec valent quicquam illæ considerationes, num filius post mortem suam exheredatus censeatur, quod *Ll. prohibitum est. l. Gallus §. in omnibus.* v. Inum exhereditatio in vita filij confirmari potuit, necne: vt priore casu valeat, posteriore autem minime. Id enim in exheredatione principaliter facta procederet, de qua omnes *Ll. expresse loquuntur. l. si ita scriptum. §. vlt. hoc titulo. l. huius. §. vlt. de hered. inst. t.* In nostro autem casu principaliter de institutione agitur, cui ad id, vt recte facta intelligatur, exhereditatio in consequentiam adiuncta proponitur. Semper autem principale attenditur, non consecutiuum. *l. 1. de auctor. tuto. l. tutor. Ad S. C. Velleia.* Quare & hæc exhereditatio, antequam de eius effectu queratur, quod demum existente conditione fit, confirmatione, vel confirmationis consideratione non indiget. Et omnino falsum est, quod quidam volūt: *Loriot. Axioma. 26.* cohæredem hoc nostro casu, pendente scilicet & institutionis & exheredationis conditione, posse adire, & confirmare testamentum: vt etiam si postea filius pendente vtraque conditione moriatur, subsistat. nam id legibus ac rationi iuris repugnat, *l. ventre. de acquir. hered.* & aperte contra textum nostrum est: *vers. dixi. vt taceam* & alia infinita absurda, quæ *Dd.* in explicatione huius legis comminiscuntur.

Verus

Verus sensus leg. periculi precium. De nautico foenore. Cap. II.

SCÆVOLA lib. 3. Responsorum: Periculi precium est, & si conditione quavis pœnali, non existente, recepturus sis quod dederis, & insuper aliquid præter pecuniam, si modo in alexæ speciem non cadat: veluti ea, ex quibus conditiones nascuntur: vt si manumittas, si illud non facias, si non conualuero, & cætera, nec dubitabis, si piscatori erogaturo in apparatus, plurimum pecuniæ dederim, vt si cepisset redderet: & athletæ, vnde se exhiberet, exerceretque, vt si vieisset redderet. In his enim omnibus, & pactum sine stipulatione ad augendam obligationem prodest.

Scæuola in hac lege duas species conditionum persequitur, sub quibus aliquid dari, vt reddatur, potest. Prima est illarum conditionum, quæ in potestate alicuius, vel opera consistunt: vt, si dem tibi decem, ne Stichum seruum tuum manumittas: & si feceris, quindecim mihi reddas. Item, si decem tibi dem, vt intra annum vxorem ducas: si non ducas, quindecim mihi restituas. Item, si dem tibi decem, vt me à morbo aliquo intra certum tempus liberet: si non efficias, quindecim mihi reddas. Quæ conditiones pœnam continent eius qui accepit, nempe si faciat, vel non faciat, quod conuenit:

b 3

quod

quod utique in potestate eius, vel opera, vel diligentia positum est. Cum igitur hæc conventio pœnalis erat, videbatur hanc pœnæ conventionem legitimum modum vsurarum egredi non posse: *l. pœnam. de vsuris.* pœnæque adiectionem, in fraudem vsurarum factam censeretur. Sed tamen diuersum Scæuolæ placuit. nec enim simplex pœnæ adiectio est, ut in huiusmodi stipulationibus: Si intra certum tempus viginti mutua non reddantur, triginta reddi: *l. cum stipulati sumus. de verbor. obligat. l. lecta. Si cert. petat.* quæ pœnæ adiectio ultra legitimum modum vsurarum non extenditur. Et ratio diuersitatis hæc est, quod prioribus illis casibus periculum sortis subitur. si enim non manumittas, vel vxorem intra præfinitum tempus ducas, vel me cures: id quod datum est, retines; cuius periculi nomine concessum est, pœnæ adiectione non nihil solitum modum vsurarum excedere. Quod in posteriori stipulatione secus est, ubi non de periculo sortis, sed tantum de simplici mora temporis agitur; non mirum igitur, si eo nomine pœna ultra constitutum vsurarum modum non debeat. Altera species est earum conditionum, quæ non sunt potestatis & operæ, sed in fortuna positæ sunt; veluti si dem piscatori decem, ut si caperit aliquid, quindecim reddat; item si athletæ, ut si vicerit, similiter quindecim reddat. Quæ conditiones, licet operam quoque requirant, tamen quo ad effectum, aleæ quasi speciem continent, & veræ conditionis instar sunt. quo nomine non dubium est, ob incertitudinem euentus, & sortis periculum, quin supra sortem etiam non modi-

modicum pacisci liceat. Differunt autem hæ conditiones à superioribus: quod hæ non similiter ut illæ, pœnales sint: item quod illæ negligentia nomine, & fere effectu non securo committantur: hæ vero fortunæ solum potestate, & effectu securo, vim suam obtineant. Quare maior dubitatio in illis, quam in his videri poterat. Concludit tamen Iurisc. periculi precium utroque casu esse, & adiectionem ultra legitimum usurarum modum deberi: item, pactum sine stipulatione prodesse. Atque hic intellectus ex ipso textu perspicuus est, si modo recte distinguatur. nam sciendum est, exempla illa:

Si manumittas, Si illud non facias,

Si non conualuero,

ad prius membrum referri debere: illa autem quæ sequuntur in vers. Nec dubitabis, ad clausulam illam, SI MODO IN ALEÆ SPECIEM NON CADANT, spectare. & redditur hoc modo sensus legis clarissimus.

Alio sensu declaratus §. si inter virum. l. cum hic status. de donatio. inter vir. & vxor. quam ab Accurs. vel alijs factum sit.

Cap. III.

SI inter virū & vxorē societas donationis causa cōtracta sit, iure vulgato nulla est. Sed nec post decretū Senat⁹, emolumentū

b 4

cali-

ea liberalitas, vt actio pro socio constitua-
tur, habere poterit: quæ tamen in com-
mune tenuerunt, præstituto fine reuocã-
da non sunt. Idcirco igitur pro socio actio
non erit: quia nulla societas est, quæ do-
nationis causa interponitur, nec inter cæ-
teros: & propter hoc, nec inter virum &
vxorem. Idem erit dicendum, & si emptio
contracta sit donationis causa: nam nulla
erit. Plane si minoris res venierit, donatio-
nis causa, vel precium postea sit remissum;
admittemus, donationem pertinere ad
senatusconsultum.

Satis frigide explicat Accurs. hunc §. sic, vt men-
tem Iurisconsulti nequaquam percepisse videatur.
Hæc autem, meo iudicio, est sententia huius loci:
quod Iuriscons. Paulus tractet, an S. C. de confir-
mandis donationibus inter virum & vxorem, spe-
ctet etiam ad ea, quæ donationis quidem causa fa-
cta sunt, verum iure communi non valent: scilicet
vt, quemadmodum verè donationes, licet ipso iure
irritæ sint, Senatusconsulto confirmantur: sic & hi
actus, qui iure communi non subsistunt. Quod vi-
deretur: cum non minus ipsæ donationes inter vi-
rum & vxorem ipso iure irritæ iudicentur, quam
cæteri actus qui iure ciuili nulli sunt: quare & me-
rito generalibus verbis S. C. æque confirmari cen-
serentur. Diuersum tamen Paulo videtur: idque
duobus exemplis declarat. Ac primum explorati
iuris est, societatem donationis causa iure commu-
ni esse

incl

ni esse nullam, l. 5. §. vlt. pro socio. l. 16. §. 1. de minorib. l. 35. §. si quis societatem. de dona. mor. cau. etiam inter cæteros: num ergo, si donationis causa inter virum & uxorem societas ineatur, morte donatoris confirmari poterit, vt actio pro socio contra hæredes locum habeat? Et dicit Iuriscons. id nullo pacto admittendum, nec enim Senatus mens fuit, vt huiusmodi actus confirmaret; sed vt illas demum donationes, quæ inter virum & uxorem specialiter prohibitæ erant, aliquo casu ratas esse vellet. Quo spectat quod ante scribit; §. oratio non solum.

Quæ ratio donationem prohibuit, eadem beneficium datum implorauit.

Item paulo post; §. suis autem.

Generaliter vniuersæ donationes, quas impediri diximus, oratione valebunt.

vt intelligamus, S. C. beneficium per omnia respondere præcedenti prohibitioni. Præterea nec Senatus naturalem contractus defectum confirmare potuit. l. 2. de vsufruct. ear. re. qua. l. obligationes qua. de actio. & obligat. Quod tamen intelligendum de ea societate, quæ plane & in totum donationis causa facta est; veluti si uxore nihil conferente, vir pactus sit, vt certa pars ex quæstu negotiationis suæ ad uxorem spectet. quo casu non dubium est, societatem tanquam donationis causa factam, ipso iure esse nullam. Verum quid si mulier in societatem contulit; an & tunc societatem ipso iure nullam esse, nec confirmari posse dicemus? Et respondetur tunc societatem iure consistere, licet inæqualitas

b s quan-

quantitatis & pactorum donationem inducat. Suf-
ficit enim ex utraque parte, rem aliquam ab initio
interuenire. Atque hoc est quod Iuriscōsultus dicit;

**Quæ tamen in commune tenuerunt,
præstituto fine reuocanda non sunt.**

vt intelligamus, ea quæ vir & vxor in commune te-
nuerunt, id est, contulerunt, veram efficere societa-
tem; verum inæqualitatem collationis & partium,
de quibus cum vxore pactus est maritus, donatio-
nis speciem continere; atque ideo ad S. C. pertinere
nec post mortem mariti reuocandam. Et quod hæc
Pauli sit sententia, plane apparet ex sequenti exem-
plo. Nam constat emptionem donationis causa
contractam, nullius esse momenti. *l. si quis donationis
de contra. empt. l. sicut emptio. locati.* quare & ad S. C.
non pertinet. Quod liquet eum intelligere de ea
venditione, in qua nullum intercessit precium;
quæ & naturaliter nulla est. At si precij quidem
conuentio interuenit, verum multo minoris quam
quanti res est venijt; vel etiam si iusto precio venijt,
verum postea precium sit remissum; dicendum est,
constitisse ab initio venditionem; ac propterea
quod donationis causa factum est, morte mariti
per S. C. confirmari. Sicque ex hoc loco duo apte
notari possunt; Primum, quod generalis confirma-
tio non trahatur ad illicita, vel ipso iure nulla; de
quo per Dd. varijs locis. *c. i. de iur. iurand. in 6. Bartol.
l. i. de his qui sunt sui vel.* Deinde, quod facilius illa su-
stineantur, quæ ab initio partem, licet modicam,
veri habuerunt, quam quæ prorsus inania & nulla
fuerūt. *arg. l. 76. heres meus. de lega. 2. d. l. si quis donationis.*

Vera

*Vera species l. dotale prædium cuius. De funda
dotali. Cap. IV.*

PAPINIANVS lib. III. Respons. Dota-
le prædium, cuius vir possessionem re-
tinuit, post literas ad vxorẽ missas, quibus
dotis non fore prædium declarauit: in ma-
trimonio defuncta muliere, virum retine-
re placuit: quia mulier actionem ex pacto
non habuit.

Species huius legis ab Accursio posita, prorsus
aliena est à verbis ac sententia Iurisconsulti: vt qui-
libet animaduerte poterit. Et quamuis verba (mo-
re ipsius Papiniani) admodum sint concisa & in-
tricata, sic ut non facile vera illorum sententia ex-
plicari possit; tamen hanc esse speciem huius re-
sponsi credendum est. Vir in dotem accepit præ-
dium, pactusque est de lucranda dote, si in matri-
monio moriatur mulier; postea ad vxorem mittit
litteras, quibus declarat non fore dotis prædium
illud; quo facto renunciasse tam doti, quam pacto
dotali intelligitur. manente autem aliquot post
annis matrimonio, mulier passa est maritum re-
tinere possessionem prædij, eoque solito more vti
frui: defuncta ea demum in matrimonio, quæ-
ritur, an renunciatio à viro facta, rata sit, & dotale
prædium ad hæredes vxoris redire debeat. Et re-
spondet Papinianus pactum illud non habuisse ef-
fectum: tum quod passa est mulier maritum po-
stea retinere fundum, quasi & ipsa tacite id repu-
diasse intelligatur; *arg. l. cum quis decedens. in princip.
de legat.*

de legat. 3. l. 12. §. contrario, mandati. tom quod nudum pactum fuit, quod licet ad exceptionem & retentionem quidem profit, actionem tamen producere non potuit. l. 7. §. sed cum nulla. cum seq. l. 45. cum similib. de pactis. Atque hoc sensu omnia verba proprie accipientur, & aptissimus erit legis intellectus.

Alium esse sensum l. si quis ita hæres. De hered. instit. quam hæctenus vulgo existimatum sit. Cap. V.

LICINIUS Rufinus lib. II. Regula. Si quis ita hæres institutus fuerit; Excepto fundo, excepto usufructu, hæres esto; perinde erit iure civili, atque si sine ea re hæres institutus esset; idque auctoritate Galli Aquilij factum est.

Hanc legem omnes intelligunt, quasi Iuriconsultus nihil aliud velit, quam quod alijs L. l. i. §. si ex fundo. l. 9. §. si duo. l. 10, 11. 14. §. vlt. hoc eod. titul. dicitur, hæredem qui ex certa re vel fundo institutus est, detracta rei vel fundi mentione, ex asse hæredem esse; cum tamen longe alia fuerit Iuriconsul. sententia. Decepti autem esse videntur vulgari lectione, quæ sic habet; **EX CERTO FVNDO, EXCEPTO VSVFRVCTV.** cum Florent. codex rectius habeat; **EXCEPTO FVNDO, EXCEPTO VSVFRVCTV.** Quare meo iudicio hoc vult Iuriconsult. in hæredis institutione certam aliquam rem expressè excipi posse. veluti si dicat testator.

Titius ex asse hæres esto, excepto fundo

do Treboniano, vel excepto usufructu illius, vel illius fundi.

Quo casu ex asse quidem hæres erit; verum si natus vel usufructus exceptus, quasi ex causa fideicommissi, ad legitimos hæredes spectabit. Et quid prohibet excipere certam aliquam rem, ut ex reliquo quis hæres sit; cum legatum nihil aliud sit, quàm delibatio hæreditatis, qua testator ex eo quod uniuersum hæredis foret, alicui quid collatum veli? *l. 116. in princ. de legat. 1.* Et in fideicommissis voluntas magis quam scriptura spectetur? Præterea cum in exhæredatione, nempe in illius odium, talis exceptio tantum inueniatur esse prohibita? *l. 19. de liber. & posthum.* Et probatur hic intellectus per casum expressum in *l. Caius hæres. de legat. 2.* Vbi testator pronepotem ex semisse instituerat, excepta domo sua & paterna, cum omnibus quæ ibi essent; & respond. Juriscons. nomina quidem debitorum, si qua ibi inueniantur, communia esse omnium, in cæteris autem nullum pronepoti locum esse.

Doctores hætenus non intellexisse l. 2. Rem ratam habere. Vera igitur eius species proposita.

Cap. VI.

PAPINIAN. lib. XI. Respons. In stipulatione de rato habendo, non est cogitandum, rei promittendi vel stipulandi compendium, sed quid interfuit eius qui stipulatus est, ratum haberi quod gestum est.

Scru-

Scrupulosa & concisa admodum est hęc lex, nec
 ab Accursio vel Dd. intellecta. Sensus autem eius
 pendere videtur ex lege præcedenti, in qua idem
 Papinianus dicit, stipulationem de rato ab vno in-
 terpositam, etiam committi posse, si ab alio petatur;
 scilicet si is à quo postea petitur, talis sit perso-
 na, per quam si solvere cogatur, propter coniun-
 ctionem & stipulator damno afficiatur. & exem-
 plum ponit in principali debitore, & eius fideiussore;
l. 29. de recept. arbitr. item in duobus reis promittē-
 di socijs. *leg. 14. infr. eod.* Vnde à contrario sequitur,
 quod si per eum qui postea conuenitur, is qui sti-
 pulatus est non perstringatur, stipulatio committi
 non possit: vt forte in fideiussore, qui donationis
 causa fideiussit. *l. 32. de pactis. l. 4. de nego. gestis. l. 9 §. non
 solum. ad Macedo. l. 6. §. si passus. mandati.* Sic & in duobus
 reis promittēdi non socijs: nam si ab vno fuerit per
 procuratorem creditoris petitum, & de rato cautū,
 postea domino ratum non habēte, ab alio petatur,
 non committitur stipulatio. *l. 34. in prin. de recept. ar-
 bitr.* Si vero socij fuerint, tunc pro rata societatis
 eius interest, & ex stipulatu agere potest: socius au-
 tem minime, cum stipulatus non fuerit, nec enim
 ad alium transit stipulatio. *l. 25. §. si operas. de usufruct.
 l. 3. §. si heres. usufruc. quemad. ca.* Idque in non socijs
 hac lege latius explicatur: scilicet quod is qui stipu-
 latus est, ex persona alterius conrei rationem eius
 quod interest, ducere non potest, sed tantum ex
 persona propria. Ita ergo fingenda species. Procu-
 rator creditoris ab vno reo promittendi petijt, in-
 terpositaque est de rato cautio, domino ratum
 non habente: siquidem ab ipso rursus petat, qui
 stipu-

stipulatus est, committitur stipulatio. Si vero ab altero, is ex aliena stipulatione agere non potest: imo nec is cum quo peius actum fuit. non enim dicere potest, sua propterea interesse, quod si ratum dominus habuisset, alter reus non potuisset conueniri: ex ipsius enim persona quid intersit spectandum est. Sic & in casu conuerso, si vnus rei stipulandi procurator à debitor petierit, stipulatioque de rato interuenerit, si postea dominus petat, commissa est stipulatio ipsi debitori: non autem alteri reo stipulandi, si forte alleget, & sua interfuisse, priorem solutionem ratam fuisse. Si vero alter reus stipulandi petierit, damnum quidem, quod debitor ex solutione procuratori facta sensit, ex stipulatu ab eo petere poterit: non autem allegare, propterea quicquam sua interesse, quod si solutio procuratori facta rata fuisset, alter reus stipulandi petere non potuisset. Sumptuum ergo nomine qui hoc iudicio fiunt, nō est habenda ratio, cum alienum factum non sit promissum: quod tamen propter cōmunem reorum obligationem secus videbatur. Quare quod de reo promittendi vel stipulandi dicitur, de altero reo intelligendum est: videturque id appellare reorum compendium, ex parte reorum debendi, l. 3. §. 1. de duob. reis. l. 31. §. 1. de nouatio. institut. de duobus reis. versic. ex huiusmodi. quod alterius solutione alter liberetur, exactioneque ab vno stipulatore facta, ab altero contingat liberatio: ex parte reorum stipulandi, leg. si duo rei. in princip. de verbor. obligat. leg. 16. & alias. de duobus reis. dict. §. ex huiusmodi. quod propriam quisque habeat obligationem: & quod

quod non obstante alterius obligatione, suo nomine quisque agere possit. Ex illo igitur commo-
do, quod conrei personam respicit, nemo sua quicquam interesse dicere potest. Atque hæc mihi videtur esse subtilis Papiniani sententia.

Alio sensu explicata l. qui plures hæredes. de vulga. & pupill. substit. quam hætenus factum sit. Cap. VII.

PAPINIANVS lib. VI. Responsorum;
Qui plures hæredes instituit, ita scripsit; Eosque omnes inuicem substituo post aditam à quibusdam ex his hæreditatem, vno eorum defuncto, si conditio substitutionis existit; alio hærede partem suam repudiante, ad superstites tota portio pertinebit, quoniam inuicem in omnem causam singuli substituti videbuntur. Vbi enim quis hæredes instituit, & ita scribit, Eosque inuicem substituo; hi substituti videbuntur, qui hæredes extiterunt.

Propriam speciem huius legis, atque etiam veram dubitandi rationem Dd. fere ignorarunt, hoc enim tantum hic agi volunt; Substitutionis reciproce spem, ad cohæredis hæredem non transire. *l. 10. in prin. l. 45. §. 1. de vulga. & pupill. l. 81. de acquir. hæred. l. 9. de suis & legit.* Quod quamuis verum sit, & multis Ll. probetur; tamen de eo non videtur proprie hic agere Iurisconsul. quamuis id ipsum etiam obiter hinc colligatur. Quare ad ponendam speciem

ciem

ciem, aliter distinguenda sunt verba quam vulgo fit. verba enim illa, VNO EORVM DEFUNCTO, SI CONditio SUBSTITUTIONIS EXTITERIT: simul legenda sunt, atque ibi subsistendum: deinde quæ sequuntur, vt intelligamus de eius parte agi qui non adita hæreditate decessit, non de eius qui postea partem suam repudiauit. Hæc autem (nisi fallor) vera est species: Testator plures instituit, & adiecit, EOSQUE OMNES INVICEM SUBSTITVO: quidam eorum adierunt. vnus non adita hæreditate decessit, atque ita conditio substitutionis extitit. alius deinde partem suam repudiat. quæritur, defuncti illius pars ad quos ex substitutione spectet: scilicet an tota illa pars ad reliquos illos & superstites, qui adierunt, pertineat: vel an & hic qui repudiauit, in substitutione partem faciat. Quod videbatur, cum testator institutos omnes substituerit: qua dictione vniuersali, quæ nihil excludit, l. 32. §. 2. de legat. 2. l. 9. de legat. 3. intelligi poterant & illi, qui partem suam ex institutione repudiarant: utique enim hæredes instituti fuerunt. præsertim cum & testator præter institutas, & alium in substitutione adijcere potuisset. l. 9. §. 2. de vulg. & pupill. Cui accedit, quod licet institutus partem suam hæreditatis, vel alij acquisiuit, vel vt indignus amisit, utique tamen ad substitutionem admittatur: l. 3. in fin. l. 41. §. 1. l. 43. §. vlt. de vulg. & pupill. l. 35. in si. prin. de acqu. hered. personam enim designatam respicit substitutio. atque ita Ll. illas intelligi debere existimo. Diuersum tamen Papiniano videtur: nempe quod tota illa pars, ad reliquos illos & superstites spectet: nec is qui repudiauit,

c

quie-

quicquam in ea iuris habeat. Idque dupliciter probat: Primo, quod dictio illa OMNES, non vniuersaliter & collectivè, sed distributivè accipienda, & ad quemuis singulariter referenda sit. l. 29. 44. de hæred. instit. l. 2. §. vlt. de cond. insti. quo spectant illa verba

Quoniam in omnem causam singuli substituti videbuntur.

quæ alias essent ociosa. hoc enim proprie volunt, institutos in omnem causam non collectivè, sed distributivè, & quasi separatim substitutos videri. Deinde quod illis verbis, EOSQUE INVICEM SUBSTITVO: non omnes qui scripti fuerunt, sed illi tantum qui hæredes extiterunt, substituti intelligantur. Verba enim cum effectu accipienda sunt: l. penult. §. docere. Ne quis eum qui in ius voc. quod & ob eam causam à testatoribus quandoque diserte exprimebatur. l. 10. in prin. de vulga. & pupill. Ex quibus rationibus decidendi plane apparet, Papinianum hic non de hæredibus institutorum, sed de ipsis institutis egisse.

Male ab Accursio intellectum esse §. sed etsi vnus. l. 2. de prætorijis stipulat. Quare vero sensu declaratus. Cap. VIII.

SED etsi vnus ex hæredibus promissoris, totam rem possideat, insolidum eum condemnandum Iulianus scribit: in quantum autem ipse ea stipulatione, vel fideiussores, & an omnino teneantur, dubitari potest. & videndum esse ait, ne non committatur.

Hæret

Hæret Accursius in interpretatione illorum verborum. nam dum Iuriscons. dubitat, an committatur stipulatio, & fideiussores teneantur: potest videri concludere, stipulationem non committi. Quod cum mirum videri possit, cum stipulatio sit hæreditaria, hæresque possessor: Accurs. non perceptis verbis ac rationibus Iuriscons. vult utique committi stipulationem, & fideiussores teneri. quod omnino verbis repugnat: plerunq; enim Iuriscons. cum videndum esse dicunt, si non contrarium subijciunt, id ipsum confirmant. *l. 4. §. Cato. de verbo. obligat. cum similib. ibi à Zasio adduc. & à Duare. libr. 2. cap. 11. Annivers. disputa.* Videtur ergo illa esse sententia Pauli, quod eo casu, quo vnus hæres possessor est constitutus, stipulatio non committatur, nec fideiussores teneantur: idque illa fortassis ratione, quod hoc casu non tanquam hæres, sed tanquam possessor conueniatur: cum, si omnes hæredes possiderent, iure hæreditario proprie tenerentur, ac conueniri possent, eoque casu stipulatio committeretur. Nec novum, hæredem in multis non vt hæredem, sed vt possessorem & agere, & conueniri. *l. de eo. §. hæres. ad exhibend. l. penult. §. vlt. de noxalib. l. 1. §. vlt. si quadr. paupe.* Quare, quemadmodum stipulatio ab vno interposita, ad alium possidentem non transit, *l. si legati in fin. de pignorib. l. 38. §. sicut autem. de verbo. obliga. l. 3. §. si hæres vsufr. quemad. ca.* nec fideiussores dati tenentur: sic & hoc casu, quo hæres non vt hæres, sed vt quis possessor conuenitur. Atque hoc mihi videtur sensisse Iuriscons.

*Perperam haëtenus intellectam l. Proculus. cum prin-
cip. l. seq. de negocijs gestis. Alio igitur, & vero
sensu declarata. Cap. IX.*

PAULVS lib. IX. ad edict. Proculus & Pegasus bonam fidem eum qui in seruitute gerere cœpit, præstare debere aiunt. Ideoque quantum, si alius negocia eius gessisset, seruari potuisset, tantum eum qui à semetipso non exegerit, negotiorum gestorum actione præstaturum: si aliquid in peculio habuit, cuius retentione id seruari potest.

IDEM lib. II. ad Neratium: At qui natura debitor fuit, etiamsi in peculio nihil habuit, sibi postea soluere debet, in eodem actu perseverans; sicut is qui temporali actione tenebatur, etiam post tempus exactum, negotiorum gestorum actione id præstare cogitur.

Longe alius est sensus harum legum, quã vulgo etiam à doctioribus credatur. volunt enim Proculus & Pegasus, seruum, si in seruitute gerere cœpit aliena negocia, quamuis damni dati nomine, postea liber factus, non teneatur: vt in principio legis præcedentis dicitur; tamen bonam fidem eum utique præstare debere. Quæ bona fides in eo spectanda est, si forte id ipsum, vel in totum, vel pro parte, ex peculio suo seruare ac retinere potuisset. Pone eum ipsum cuius negocia gesta sunt, vel alium, nego-

negocia serui illius peculiaria gessisse; certe si egisset cum domino eius de peculio, forte pro ratione peculij x. consecutus fuisset; merito ergo, cum seruus ipsius negocia gessit, si medio tempore peculium vel extinguatur vel transferatur, debuit & tantum à se exigere, & ex ratione peculij retinere; ipso enim gestu, natura debitor factus est. Nec de eo quod ante negocia gesta debuit, hac lege agitur; sed de eo quod ipsa gestione debere incipit, quo certe casu æquum est, vt si ex peculio retinere quicquam potuit, eatenus teneatur; quasi enim dolo non retinuisse intelligitur. *arg. l. 9. §. si seruus. de tribut. l. 11. §. quod autem deduci. de peculio.* Si vero nihil in peculio fuit, excusatus erit; nec si liber tactus perseueret, prior gestio in actionem negociorum gestorū transferri debebit. Si autem & ante negocia gesta debitor fuit, eo plus est; vt etiam si tempore seruitutis nihil in peculio fuerit, vtique perseuerando à se exigere debuerit, nec inopia peculij excusetur; plene enim hoc debitum in negociorum gestorum actionem translatum est. idque in princip. l. seq. dicitur, & quam optime exemplum adiectum quadrat.

Vero intellectu conciliata l. 8. de prator. stipulat. cum l. inter. qui satis lat. cog. Cap. X.

PAULVS notat, eum qui sub conditione institutus est, agnita bonorum possessione, cogi substituto in diem cauere longiorem; prætor enim beneficium suum non vult esse captiosum; & potest videri

calumniose satis petere, quem alius antecedit.

Multus est Accurs. cum plerisque alijs, in concilianda hac lege, cum l. inter. qui satisfacit. cogantur: nec tamen quicquam quod verisimile sit adferunt, ut taceam de illis, qui & verba textus mutare conantur. Hæc autem est Juriscons. sententia, quod hæredem sub conditione scriptum, cauere substituto æquum censeat: quod de simplici repromissione, ac de stipulatione iussu prætoris interponenda, intelligendum est, *d.l. inter. l. 3. C. de verbo. sig.* nec enim satisfacere cogendus erit: quod hæredi graue esset futurum, cum non facile fideiussores, præsertim in paulo longius tempus posset inuenire. Dicit igitur Jurisconsultus hic, beneficium illud prætoris, quo ante conditionem existentem, bonorum possessionem agnoscendi dat potestatem, *l. 2. §. 1. l. 5. in princip. leg. 6. de bono. poss. secund. tab.* in dampnum hæredis non ita accipiendum, ut prætor eum interim satisfactione onerari voluerit: præsertim cum & substitutus, quasi calumniose satisfactionem petere videatur, quem alius antecedit, ac propterea merito nuda repromissione contentus esse debeat. Atque hoc est quod Jurisconsul. dicit, posse videri calumniose satis petere: nam satis petere, satis exigere eo modo dicitur, *l. 72. §. Titius. l. 103. de conditio. & demonstr. l. 41. §. vlt. de legat. 3. l. 3. ut in poss. legato.* quo satisfacere, quæ plerunque fideiussoribus datis expediebatur. *leg. 1. qui satisfacit. cog. dict. leg. 3. Cod. de verbo. sig.* Fere autem satisfactionis exactio, contumeliosa & onerosa habebatur, *leg. 27. §. vltim. de testam. tute. leg. 31. de reb. aucto.*

*ancto. iud. pos. l. 39. §. 1. de noxalib. propter fideiussorum
quærendorum difficultatem. leg. 2. §. sed vtrum. de iu-
dicijs. l. 8. in fi. de usufruct. ea. re. qua. C. de episco. & cle. l. 31.
§. præterea cum.*

*Quæ sint veræ rationes dubitandi in §. vlt. l. coheredi.
de vulgar. & pupillar. substitution.*

Cap. XI.

NON videri cum vitio factam substitu-
tionem, his verbis placuit: ille filius
meus si (quod abominor) intra puberta-
tis annos decesserit, tūc in locum partem-
ve eius Titius hæres esto. non magis quam
si post demonstratam conditionem, sibi
hæredem esse substitutum iussisset. Nam
& qui certæ rei hæres instituitur, coherede
non dato, bonorum omnium hæredita-
tem obtinet.

Dubitandi rationem in hoc §. anxie quærit Ac-
curs. non tamen satis exacte ex mente & sententia
Juriscons. explicat. Sciendū est igitur, ex verbis illis,

In locum, partemve eius, Titius hæres
esto;

quasi colligi posse, quod testator substitutum non
suis, sed tantum pupilli bonis hæredē scripserit: sic-
que non sua, sed solum pupilli bona ad illū voluerit
peruenire: idque duabus rationibus, ex ipsis verbis
sumptis. Primo, quod verba in personam pupil-
li conceperit, & in locum eius Titium hæredem
substituerit: vnde apparet videtur, quod de

c 4

ipius

ipsius tantum successione, non de sua senserit. I ē, quod tantum de pupillari expressa, per quam ipsi pupillo, *Institut. de pupilla. substit. in fin. prin.* non autem de tacita vulgari, per quam testatori succeditur, cogitarit; cum alias solliciti testatores soleant fere vtrumque casum disertis verbis exprimere. *l. i. de vulg. & pupill. instit. eod. in prin.* Deinde quod in partem pupilli facta fuit substitutio; qua partis appellatione eo magis apparet testatorem ad pupilli bonorū partem, mentem suam direxisse, nec de omnibus simul bonis sensisse. Quibus rationibus videbatur, substitutionem talem à pagano factam, vitiosam esse. *l. 10. § filio impuberi. § ad substitutos. supr. eod. tit.* Et quod has dubitandi rationes considerarit Iuriconsult. apparet ex eius responsione; singulis enim rationibus peculiare dictum opponit. Ac primo dicit, non magis ob hoc vitiosam esse substitutionem, quod in personam tantum filij concepta fuerit, quam si testator post expressam pupillaris substitutionis conditionem, sibi substitutum hæredem esse iussisset, hoc scilicet modo;

Si filius meus intra pubertatis annos decesserit, Titius mihi hæres esto.

quo casu non minus pupillo, quam sibi, substituisse intelligitur; *l. paterfamil. infr. eod. l. 8. § qui filio. de bono poss. secund. tab.* & non minus pupilli, quam sua bona ad substitutum spectabunt. Secundo, non nocet partis esse factam mentionem, cum & alias, certæ rei scriptus hæres, cohærede non dato, ex asse hæres sit. *l. 19. de liber. & posthum. l. 1. § si ex fundo. l. 9. § si duo. l. 10. 33. in fi. de hered. instit. l. 29. ad Trebell.*

Emen-

*Emendatus & declaratus §. à filia pater. in l. cum
pater filios. de legat. 2. Cap. XII.*

A filia pater petierat, ut cui vellet ex liberis suis, prædia, cum moreretur, restitueret; vni ex liberis prædia fideicommissi viua donauit. non esse propter incertum diem fideicommissi, certæ donationis electionem videbatur. Nam in eum destinatio dirigi potuit, qui fideicommissum inter cæteros habiturus est, remota matris electione.

In hoc §. ad finem negatio deesse videtur; ita enim meo iudicio verba illa legenda sunt;

Nam in eum destinatio dirigi potuit, qui fideicommissum inter cæteros habiturus non est, remota matris electione.

Vt hæc sit sententia, donationem à matre inter viuos factam, quæ cum moreretur, cui vellet ex liberis, restituere rogata erat, pro fideicommissi restitutione habendam non esse; quod fieri possit, ut is à matre per donationem electus sit, qui tempore mortis eius, ab ea eligi non possit; & qui, si à matre nulla facta esset electio, cum cæteris non admitteretur; quo casu, donatio in damnum ac præiudiciũ cæterorum præmature facta censeretur. Et hoc sensu continent hæc verba rationem decidendi, ad omnes illas *Ll. Supr. eadem l. §. hereditatem. l. uxorem & filium. §. Seium. de legat. 3. leg. vnum ex familia. in*

c s

princ.

princ. de legat. 2. l. 22. in princ. ad Trebellia. l. Statius Florus. §. vlt. de iure fisci. l. 114. §. idem principes. de legat. 1. que ante diem cedentem, vel venientem, non necesse esse dicunt, vel etiam prohibent fideicommissum restitui. Quæ ratio & alibi à Iurisconsulto Marciano, in simili casu, his verbis expressa est: d. l. 114. §. Diui Severus & Antonin. 1. de legat. 1.

Cum possit die fideicommissi cedente, sui iuris constitutis ipsis restitui; vel si aliquis ex ijs decesserit, non omnibus.

Ex quibus negationem hic addi debere, perspicuum est: cū si negatio desit, nullus sane sensus qui Papiniano dignus sit, hinc elici possit.

De intellectu §. si Titius. l. si fundum sub conditione. de legat. 1. contra Accurs. Cap. XIII.

SI Titius, cui Stichus legatus fuerat, antequam sciret ad se legatum pertinere, decesserit: & eundem Seio legauerit, & heres Titij legatum non repudiauerit, Stichum Seius vindicabit.

Rationem huius §. Accursius non intellexit: & quare Iurisconsul. dixerit, legatum ab hærede non fuisse repudiatum. inclinatur enim eo, quasi hæredi repudiare non licuerit: quod aperte Iurisconsul. verbis repugnare videtur. Ratio ergo legis in hoc est: quod non repudiato legato ab hærede, dominium rei legatæ, ipso iure ad legatariū transeat, sicque rei vindicatione legatum persequi possit. cum si re-
pudias-

puerum heres legatum, quod utique potest, ut hac lege apparet, l. 26. de bon. liberto. (nec enim ante agnitionem plene fuit in dominio defuncti) l. 13. de conditio. institut. l. precia rerum. in fi. princ. ad l. Falcid. legatario actio tantum personalis ex testamento datur. Nam cum testator ignoravit sibi esse legatum, non quasi legatarius, sed quasi extraneus legasse intelligitur: quo fit, ut si heres repudiet, utique quasi realia legata, personali actione teneatur. leg. cum alienam rem. C. de legatis. §. non solum autem. insti. de legat.

Vera species §. 1. leg. si alij usus. de usufruct.
Cap. XIV.

RERUM estimationis usufructus tibi legetur, interest. Nam si quidem rerum legetur: deducto eo quod tibi præterea legatum est, ex reliquis bonis usufructum feres. Sin autem estimationis legatus est, id quoque æstimabitur, quod præterea tibi legatum est. Nam sæpius idem legando, non ampliat testator legatum; re autem legata etiam estimationem eius legando, ampliare legatum possumus.

Speciem huius §. non omnes intelligunt, nec ab Accursio recte explicata est. Quare vera species, mea sententia, hæc est: Testator plures habens fundos, legavit Titio fundum Seianum: postea alio loco legat ei usufructum fundi Seiani, Semproniani & Titiani. Quæritur, an & legatum fundi Seiani, & præterea usufructus eiusdem debeatur.

tur. Respōdetur; quod deducto fundo Seiano, reliquorum tantum fundorum vsusfructus peti possit. Sed quid si testator, legato fundo Seiano, postea æstimationis fundi Seiani, Semproniani & Titiani vsusfructum leget; an & legatum fundi Seiani cōstet, & præterea æstimationis eiusdem fundi vsusfructus recte petatur. Et respond. Hoc casu vtrumque locum habere; res enim & æstimatio eiusdem rei concurrere, & simul deberi possunt.

L. 16. & l. vlt. ad S. C. Turpilian. aliter quam ab Accursio factum sit, declarata. Cap. XV.

PAULVS lib. singulari de adulter. Domitianus rescripsit; Quod de ferijs, & de abolendis reis dicitur, non pertinere ad seruos, qui accusati in vinculis esse iubentur, ne iudicium finiatur.

Non recte intelligit Accurs. hanc legem. Hæc autem est, quantum ego conijcere possum, Iuriscons. sententia. Quod dicitur publica abolitione interueniente, repeti posse reum, idque tantum intra xxx. dies, l. 10. 12. non habere locum in seruo, qui ex vinculis causã dicere cogitur. l. 25. §. 1. ad Syllaniam. l. 2. in princ. de custod. reor. quamuis enim is intra xxx. dies non repetatur, non poterit præscriptionis auxilio iuuari; idque propter ipsa vincula, quæ maiorem vim ac perpetuitatem, quam instituta accusatio, continere videntur. Præsertim cum & lex talem seruum prohibeat absolui, antequam de eo iudicetur. dict. leg. 2. versic. dubitationem. Sic nec vers. vlt.

vlt. leg. vltimæ, percepisse videtur, cuius hæc sunt verba;

Cum in crimine capitali abolitionem, vt in re pecuniaria, petitam esse diceretur; restaurandam esse nihilominus cognitionem; & si non probasset hoc quod proponeret, non impune eum laturum.

Species huius vers. hæc esse videtur; Impetrauit accusator abolitionem ex causa, quod res non capitalis, sed pecuniaria esset; delatus est postea apud iudicem, quasi ex falsa causa impetrata abolitione; scilicet quod causa nõ pecuniaria, sed capitalis fuerit; dicitur, restaurandam esse cognitionem abolitionis, sed si delator in probatione deficiat, non impune eum laturum.

Aliam esse sententiam Iuriscons. in §. pater filium. de legat. 3. quam Accurs. eredit. Cap. XVI.

PA T E R filios hæredes scripserat, & adiecerat; Prædia quæ ad eos ex bonis meis peruentura sunt, nulla ex causa abalienent, sed cõseruent successioni suæ; de que ea re sibi inuicem caueant. ex his verbis quæsitum est, an prædia per fideicommissum relicta videantur? Respondi, nihil de fideicommissum proponi.

Non intellexit Accurs. quare in proposita specie Iuriscons. dixerit. Nihil de fideicommissum proponi; vult enim ipse, nihilo minus hic ex voluntate testatoris,

toris, fideicommissum esse: quod verū esset, si de eo fuisset quæsitum, an liberis suis, fideicommissi nomine essent obligati. quæ non videtur fuisse quæstio: sed potius, an filij inter se, si quisquam eorum sine liberis moriatur, de fideicommissio teneantur. Quod videbatur: cum testator adiecerit, eos prædia successioni suæ conseruare debere, quod de legitimis hæredibus intellexisse videri poterat. Deinde quod eos sibi inuicem cauere volūt: qua mutua cautione, eum eo magis de filiis sensisse apparebat. Diuersum tamen Iurisconsul. visum est: scilic. quod non de filiis inter se, sed de liberis eorum cogitarit: vt sic verba illa, **CONSERVENT SUCCESSIONI SVÆ**, de liberis tantū intelligantur, eorumque nomine tantum cautio interponenda sit, perinde ac si posteris dixisset. *l. 83. §. 1. de legat. 3.*

Quid apud Iurisconsultos sit, Male agere: item, Nihil agere: contra aliorum sententiam. Cap XVII.

SÆPE iure nostro male quem agere, vel nihil agere dicitur: quibus verbis nihil aliud significari volunt interpretes, *Alciat. Parerg. lib. 4. cap. 14. Duae venus in l. 4. de pactis.* quam quod eum qui nullam actionem habet, nihil agere: illum autem qui actionem quidem habet, verum exceptione repelli potest, male agere existiment. Mihi autem maiorem hæc verba vim ac potestatem habere videntur; atque olim, cum adhuc iudicia ordinaria in vſa erāt: illum male petere vel male agere, fuisse dictum, qui per hoc incidebat in pœnam plus petitionis, §. *si quis agens. institut. de actionib.* remque consumebat; illum autem nihil facere vel agere, cui ex eo nul-

lum

Iam erat periculum. idque ex quibusdam locis Iuriconsul. & exemplis ibidem subiectis, plane intelligi potest; quorum primus est in l. 4. de compensatio: ubi Paulus sic scribit;

Sicut enim, cum totum peto à reo, male peto; ita & fideiussor non tenetur ipso iure in maiorem quantitatem, quam reus condemnari potest.

Quibus verbis significare videtur Iuriconsul. eum qui totum petit à reo, qui compensare potest, quasi plus petendo rem amittere; idque ex eo, quod ipso iure dicatur fieri compensatio; *l. postquam eod. tit. l. 4. & ult. C. eod.* hoc est, per legem induci, & effectum habere, ne scilicet amplius totum debeat, nec sine pœna peti possit. pro soluto enim lex compensationem haberi vult; *leg. 4. Cod. eod. leg. 4. qui portio. in pign.* ac semper, cum ipso iure quid fieri dicitur, iuris ac legis potestate & vi ita esse intelligitur. Sic & cum legata ipso iure per Falcidiam minuuntur; *l. 1. §. si quis ex. quod legato. l. in ratione. §. in diem. ad l. Falcid.* si legatarius sciens l. Falcidiam locum habere, integrum legatum petebat, plus petere iudicabatur. *d. §. si quis agens.* Alius locus est in leg. unica quando dies ususfructus cedat. ubi ita scribit Ulpian.

Deinde Scævola ait, agentem ante diem ususfructus nihil facere; quamuis alias, qui ante diem agit, male agit.

Iam certum est, illum qui ante diem experitur, tempo-

tempore plus petere, atque in pœnam amissionis rei incidere. §. *plus autem institui. de actionib.* Quod secus est in eo, qui ante diem legati cedentem agit. hic enim nondum est creditor, nec ullam habet actionem, *l. is, cui sub conditione. de action. & obligat. l. 45. §. 1. l. 50. §. vlt. de legat. 2.* quare potius nihil facere, quàm male agere iudicatur. Idem intelligi potest ex *l. pecuniam quam. si cert. petatur.* Vbi querit Iuriscons. si illum qui pure mihi debet iusserim sub conditione Titio promittere, & pendente conditione, cum debitore meo egerim, an nihil egisse, vel potius ante tempus petiisse existimandus sim. Et respondet, cum credita pecunia permanserit, & quasi sub contraria conditione mihi promissa fuerit: si interim egerim, ante conditionem me petiisse videri, & sic male egisse: quod & alibi perperam agere vocatur *l. 2. §. qui ita stipulatur. de eo, quod cer. lo.* Vnde sequitur, omnem illum qui iure veteri quocunque modo plus petebat, vt merito causa caderet, male vel perperam agere, fuisse dictum. Nihil autem agi vel fieri, fere in iure pro eo accipitur, *l. 1. de offic. procura. Cas. l. 2. §. si metu quod metus causa. l. 25. §. denique scribit. cum aliquot seqq. de usufruct. leg. 2. de pignorati. ac. cum infinitis similibus.* cum id quod fit vel agitur, per se nullius est momenti, nec quicquam adfert vel damni vel præiudicii.

Vero sensu explicatus §. 1. in l. 32. de usufru. legato. reiecta Accursii interpretatione. CAP. XVIII.

FILIO SEX Scio, & filiam ex alio marito, hæredes instituit æquis portionibus, & matri ita legauerat. *Ælię Dorcadi matri*

matri meæ dari volo, quoad viuet, vsum-
fructum bonorum meorū: ita vt post ob-
itum eius, ad liberos meos, aut ad eum
qui ex his viuet, pertineat. Filij post adi-
tam hæreditatem decesserant, quæsitum
est: mortua matre, superstite filia testatri-
cis, vsusfructus vtrum ad solam filiam, an
vero pro portione hæreditatis pertineret?
Respondi: ad eos redire, apud quos pro-
prietas esset. Claudius non credidit, i-
psam vsusfructum, in vicem portionum
hæreditariarum, post mortem auix inter
ipsum datum: eo magis, quod æquis parti-
bus hæredes scripti erant.

In hoc §. omnino contrarium eius quod Iuris-
consult. voluit, interpretatur Accursius: nec sane
interpretatio eius vel verbis vel rationi iuris con-
gruit. Species autem per se clara est, & recte ad con-
sultationem respondit Scæuola. nec Claudius eius
sententiam reprehendit, sed potius (vt plerunque
solet) l. 88. §. *Dama & Pamphilo. de legat. 2. l. 37. §. nuptu-
ra. in fin. l. 38. §. quindecim. in fi. l. 41. §. penult. de legat. 3. l. 15. §. restator. l. 16. §. Basilica. de aliment. & cibariis. leg. & ali-
bi* comprobat, & quamobrem ita senserit de-
c. Dicit igitur: Propterea à Scæuola respon-
sum esse, vsusfructum ad eos redire, apud quos
proprietas esset: quod non crediderit; ipsi in vsus-
fructum in vicem portionum hæreditariarum, post
mortem auix inter ipsos datum. Et primo notan-
dum: quod Claudius non dicit, pro portionibus
d hære-

hereditarijs, sed in vicem portionum, quod proprie loco portionum significat. *l. 1. C. si in caus. iudica. pign. cap. l. 1. §. quæri poterit. vt in posse. legator. l. 7. de prator. stipulat. l. 1. C. de obligat. & actio.* aliud est enim pro portionibus, aliud vice vel loco portionum dari. Est ergo illorum verborum hic sensus: Non credidit Scævola portiones hæreditarias, in ipso usufructu matri dato; post mortem eius dilatas esse: ac tunc usufructum inuicem, hoc est, loco portionum hæreditariarum, inter liberos esse diuisum: vt scilicet tunc primum, quasi nouæ portiones hæreditariæ in ipso usufructu datæ censeantur. Quod videbatur, propterea quod testatrix expressim usufructum post mortem matris ad filios, vel ad eum qui tum viueret, pertinere voluit: qua expressione nihil opus fuit, si simpliciter usufructum ad liberos pro portionibus hæreditarijs, sicque ad proprietatem reuerti voluisset: nec enim verba, vt plane otiosa sint, accipienda. *l. quod ait lex. in princ. de adulter. l. 1. in fin. ad municipa.* Displicuit autem Scæuolæ illa consideratio, ac voluit ipsum usufructum post matris mortem, secundum suam naturam, ad proprietatem reuerti: sicque non ad solam filiam superstitem, sed & ad defunctorum filiorum hæredes pro parte pertinere: idque ea ratione, vt Claudius adijcit, quod ab initio pro æquis portionibus hæredes scripti fuerunt, atque omnes matris testatrix hæreditatem adierunt. Cum igitur ea aditione partem hæreditatis liberi acquisierint: non mirum si usufructus finitus, partes illas sequatur: *l. 3. versic. vnde Celsus. de usufruct. accres.* hæc enim eius natura est, vt quoquomodo amissus, ad proprietatem reuertatur.

uertatur. l. 10. de vi arma. cum similib. Inutilis est ergo illa testatrix adiectio:

Aut ad eum qui ex his viuet, pertineat. repugnat enim naturæ ipsius rei. Præterea & nouam fecisset priorem institutionem: cum semper abscedente usufructu, nudæ proprietatis tantum hæredes fuissent. §. ne tamen. institut. de usufr. l. 3. ad fi. de usufruct. Si enim portionis hæreditariæ loco, ei qui tempore mortis matris viueret, datus fuisset: desisset (vt ego quidem arbitror) habere usufructus naturam: & hæreditario iure ad superstite spectasset, nec ad proprietatis partes redire potuisset. Præterea nec quoque in hoc usufructu, Falcidiæ deductio- nem ab initio liberos habuisse puto: l. omnium. de usufruct. cum illud in extraneo legatario (meo iudicio) locum habeat: non in eo, cuius ab intestato sperari potest hæreditas. argum. leg. 6. in fin. si tabul. testa. nul. ext. l. si filius qui. de vulga. & pupilla. vt nec in eo usufructu, qui ad certum tempus tantum datus est. leg. vxori mea. infr. eod. tit. Non nouum autem, quod voluntas testatoris, ac nonnunquam etiam exprefsa eius dispositio, contra rationem iuris, ac rei naturam, non admittatur, leg. 19. 25. supr. eod. tit. leg. 14. de vulga. & pupilla. leg. 55. 95. 112. §. penult. §. vltim. de legat. 1. l. 8. de castrens. pecul. sed à iure communi limitatio- nem recipiat.

In §. sin vero filius. l. quesitum est. de peculio. quadam aliter explicata, quam ab Accurs. factum est. Cap. XIX.

SIN vero filius sit, quãuis ex parte insti- tutus: nihilominus in solidũ actionem

d 2 patie-

patietur. Sed si velit pro parte nomen co-
hæredis redimere, audiendus est, quid
enim si in rem patris versum sit? cur non
consequatur filius à cohærede, quod in re
patris est? Idem, & si peculium locuples
sit.

Si filius qui contraxit, cuius nomine pater de
peculio tenetur, pro parte tantum patri hæres ex-
istat: utique tamen in solidum conueniri potest.
l. 4. in princ. quod cum eo qui in alie. po. qui si totum sol-
uat, petere poterit, ut sibi contra cohæredem ce-
dantur actiones: idque tribus casibus locum ha-
bet. Primo, si iussu patris contraxit: deinde si in rem
patris versum est. *l. 1. quod cum eo qui in. l. 1. & per totum
quod iussu. l. 1. & per totum. de in rem verso. §. si igitur. §.
præterea. §. cæterum. instit. quod cum eo qui.* quo casu, ut
Iurisconsul. hic dicit, si totum quod ad filium ex
contractu peruenit, in rem patris versum fuit: to-
tius dimidiæ partis, à cohærede semissario petitio
datur. Cui & tertium casum adijcit, cum dicit:

Idem esse, si peculium locuples sit.

Quæ verba ab Accursio non recte percipiuntur.
hæc autem est Iurisconsul. sententia: Quamuis ni-
hil in rem patris versum fuerit: peculium autem
tam locuples sit, ut solidum inde solui possit: utique
à cohærede solidæ partis petitionem esse. Quod se-
cus esset, si peculium toti debito non sufficeret:
tunc enim cohæres non nisi pro ea parte teneretur
quæ ad eum ex peculio peruenisset, licet maxime i-
pse filius solidum soluisset: nec nominis redemptio
quicquam filio hoc casu prodesset.

De ab-

*De abscisso & pendente iure filij, in §. si filium. l. 9. de
liber. & posthu. Cap. XX.*

QVÆ sit ratio illorum verborum, quibus Paulus Iuricons. differētiam assignat, quare scilicet, si filius à patre sit exhæredatus, & mortuo patre decedat, obstet nepoti: quo minus is testamentum aui in quo præteritus est, rumpat: non autem si apud hostes, post mortem patris decedat: non omnes intelligunt. Sunt autem hæc verba:

Quod moriente auo, filij ius pependit, non abscissum, vt superiore casu, fuerit.

Quare vt recte intelligantur, sciendum est, quod dicit priore casu abscissum esse ius filij: ad exhæredationem esse referendum. nam illa iure patriæ potestatis facta fuit, l. 3. §. si emancipatus fil. vxore. de bono. poss. contr. tab. l. quidam cū. de verb. oblig. instit. de exhæreda. liber. in prin. & ius filij substitit, cū p mortuo exhæredatus habeatur: l. 1. sed et si patruus. de coniung. cum emanci. liber. quamuis, si diutius vixisset, potuit per inofficiosi querelam tolli. Sufficit autem, ipsum filium tempore mortis patris esse in dispositione paterna, ad excludendum nepotem: quæ & efficax sit, & maneat in tempus mortis filij, licet nondum effectum habuit. Quo spectat, quod ante aditam hereditatem filium mortuum fuisse scribit: adita enim demum hæreditate, exhæredatio vires accipit. l. 20. in princ. de bono. poss. contra tab. l. 68. ad fi. de hæred. institut. Quod secus est, si filij exclusio non ex dispositione paterna, sed extrinsecus legis potesta-

te in suspenso sit, *leg. 32. §. 1. de hered. institut. & pen-*
deat : tunc enim nocere nepoti non poterit,
 quod fit, si filius tempore testamenti, quo præteri-
 tus est, apud hostes sit, atque ibi post patris mortem
 decedat. Nam licet is filius præteriri possit: *l. Gallus*
§. in omnibus. §. videndum. quam præteritionem & ob
 id vim exhæredationis habere videbatur: *§. sed si in*
expeditione. §. mater. institutio. de exhæredat. libero. tamen
 cum non reuersus, potius tempore testamenti, non
 in rerum natura fuisse, quam quasi exhæredatus es-
 se censeatur: *l. sexta. §. sed si pater. de iniusto rup. irrit. testa-*
men. sequitur eius personam nepoti non obstare:
 Superiore enim casu certum est, filium esse exhære-
 datum: quod satis est, ad excludendum nepotem
 ab euertendo iudicio paterno, iure patriæ potesta-
 tis esse factum. In posteriore, non est certum filium
 reuersurum, ut obstet nepoti: quare si non reuer-
 tatur, fictione *L. Corneliæ* ius nepotis integrum
 manet.

Conciliatio l. si quis in legatione. de iudiciis. cum §. 1. l. eum
qui. de constit. pecunia. CAP. XXI.

IN conciliandis his legibus Dd. anxie torquen-
 tur; cum tamen si quis verba recte inspiciat, fa-
 cile discriminis ratio appareat. nam in priore lege
 agitur, cum quis ante legationem efficaciter de-
 buit, & ex contractu omnino perfecto obligatus
 fuit; de quo non dubium, quin si tempore ac loco
 legationis constituerit, ibi conueniri non possit;
 cum eo casu origo principalis obligationis inspi-
 cienda sit. *leg. 69. de fideiussoribus. leg. 76. §. hæres. de legat.*
2. lege 33 in principio de donationibus.

Verum

Verū in l. eum qui, non de eo qui omnino efficaciter obligatus fuit, agitur; sed de eo, qui quid simpliciter accepit; obligaturus se postea, certo modo ac forma. quo casu, quamuis ex numeratione vel traditione, naturaliter obligatus fuit: leg. 9. §. numeravi. si cert. pet. leg. 126. §. Chrysogonus. vers. superest. de verbo. obligat. tamen quia id actum erat, ut efficacius obligaretur, quod & in tempus legationis dilatatum est: merito in eo non tempus vel locus traditionis, sed initi & perfecti contractus inspicitur; l. 7. de novationibus. quemadmodum, & si ab initio ita principaliter contractum esset, ut tempore legationis solueretur. l. contraxisse. de actionibus & obligationibus. l. 3. de legationibus. Secus, si à principio quis plene obligatus; postea se tempore ac loco legationis soluturum constituat. de quo proprie loquitur versic. sed si cum. in §. 1. leg. eum qui. tunc enim idem quod in priori membro dicendum est, atque ita ego hanc antinomiam conciliandam esse iudico.

Explicatio illorum verborum, quibus Ulpianus in l. 1.

§. ideo autem. de exercito. dicit. In re dubia melius esse verbis edicti seruire.

Cap. XXII.

FILIVS FAMILIAS, si voluntate patris exerceat nauē, pater in solidum tenetur; idq; speciali iure, ob publicam utilitatē introductum est. omnium enim illorum nomine, quæ ad publicā causam pertinent, pater ex sola voluntate in solidum conveniri potest. l. 2. ad municipa. l. 7. de admi. re. ad ciuit. l. 20. §. idem scribit. si filius. famil. exciscund. l. 1. C. quod cum eo qui. alias. n. si voluntate patris, in morte peculiari

d

4

priua-

priuatim negocietur: non in solidum, sed quatenus
 in merce peculiari est, obligatur. quo casu, sui cre-
 diti eatenus tantum ratio ducitur, vt in tributum
 vocetur: scilicet, vt pro rata tantum cum cæteris
 consequatur. *de tributor. per totum. §. introduxit. insti-
 tut. quod cum eo.* idque propter utilitatem negocia-
 tionis, & vsum commerciorum, ita constitutum
 est. Cum enim voluntate patris, publice in merci-
 bus peculiaribus negotiatur, intelligitur id patris
 quasi consensu facere. Qui consensus non ita ta-
 men patri præiudicat, vt in solidum teneri possit.
 non enim patris nomine, nec in bonis patris, sed in
 re peculiari negotiatur. Nam licet peculium filij,
 patris sit: tamē quamdiu in manu filij est, eius qua-
 si patrimonium censetur. §. *actiones autem. de peculio.
 institut. de actionibus. l. 39. 47. §. vlt. de pecul. l. 17. de statulib.*
 Si vero absque negotiatione & mercibus, filius ali-
 as patre etiam sciente contrahat: de peculio tan-
 tum pater conueniri potest. cuius natura est: vt ex
 eo omne quod patri debetur, deducatur. *l. 9. §. pe-
 culium autem. cum seqq. de peculio.* præuenisse enim sui
 debiti nomine censetur: & id tantum in peculium
 concessisse, quod ei, quod sibi debetur, superest.
 Sed cum supra de voluntate patris in exercitoria &
 tributoria dictum sit, de expressa voluntate nullum
 est dubium. tacitæ autem voluntatis cum duplex
 possit esse ratio; *l. coram Titio. de verbo. sig. l. 1. §. is autem.
 si famil. fur. se. dica. l. scientiam. in princip. ad l. Falcid.* vel
 quod scierit & voluerit; vel quod scierit quidem,
 non autem voluerit; quæri posset, quomodo vtro-
 bique voluntas accipienda sit. quod Iurisconf. ele-
 ganter ex verbis e dictorum explicat; vt scilicet id in
 vno-

unoquoque obtineat, q̄ verbis principaliter significatur, nec ultra sit extensio facienda. Cum enim edictum de exercitoria, voluntatis fecerit mentionem; §. *precedenti*. intelligendum utique de vera voluntate, licet non expressa; nec sufficiat quem sciuisse, nisi & voluerit, si enim sciuerit tantum, non etiam voluerit; non continuo dicendum, eum in solidum obligari, sed ad modum tributoriæ; si vero nec sciuerit, de peculio. *l. si seruus. in princ. infr. eod. tit.* In tributoria autem, cum edictum de sciente loquatur, *l. i. de tributoria*. censendum locum quidem habere in eo, qui simpliciter & nude tantum sciuerit, licet non voluerit, ut scilicet sola eius patientia sufficiat. non tamen ex eo consequi; ut si & sciuerit & voluerit, non ad modum tributoriæ, sed exercitoria, in solidum teneatur. Quam rem non satis videtur percepisse atque explicasse Accursius. Atque est hic appositissimum exemplum, quomodo in dubijs Legum quæstionibus principalis verborum significatio inuestiganda & sequenda sit. Alciat. *Paradox. lib. 4. cap. 15. Parerg. lib. 3. cap. 21.*

Vera species §. item si messes. in l. fructus. solut. matrim. præter aliorum sententiam explicata. Cap. XXIII.

ITEM si messes eius anni, quo diuortium factum est, colonum ex forma locationis sequantur: ante vindemiam soluto matrimonio, nihilominus pecunia messium in computationem, cum spe futuræ vindemiæ veniet. Apparet igitur ex his,
d § illos

illos fructus quos mulier percepit, antequam nuberet, non debere in contributionem venire.

Vera species huius § (nisi admodum fallor) hæc est: Mulier fundum suum, in quo & vineæ & agri, colono, in tres puta annos locauerat: illa lege adiecta, ut & quarti anni messes (forte ad prouocandam eius operam ad stercorandam agrum, vel quod pleraque sationes in proximum fiant annum) colonum sequerentur. Ponamus, quarto anno, Kalend. forte Martijs, contractum matrimonium, & fundum in dotem datum: demum Kalend. Septembribus diuortium factum. Queritur, quomodo fructuum illius anni ineatur computatio. Et videbatur, solius vindemiæ haberi rationem: cum messes ad mulierem non spectent, sed priorem colonum sequantur. Accedit eo, quod pro his messibus, peculiaris non fuit imposita merces, sed priorum annorum locationibus accessit, & coniuncta fuit: quorum annorum mercedes non venire in contributionem, subiicit Vlpianus. Si enim peculiaris pro his messibus pacta fuisset merces; non mirum, si & illa in fructuum computationem deduceretur. Aliud tamen Vlpiano videtur: nempe & harum messium æstimationem faciendam, earumque vna cum vindemia ineundam rationem. Sed & ex eo quod dicit, Ante vindemiam solutum matrimonium: videbatur nec illam in computationem venire, cum adhuc pendeat, & alijam sint collecti fructus, ex quorum æstimatione pro rata temporis, maritus partem consequi possit. Sed cum
totius

totius anni vnus fructus sit. *l. si fundus in fin. eod. tit.* ratio facit, vt & illa in computationem vocetur. Valde autem quæri posset: cum hæc messium quasi locatio à vindemia separata sit, num pro rata mensium ex vnoquoque, secundum Papiniani sententiam, §. *Papinianus. supr. ead. l.* confundantur partes. Exempli causa: Si messes in fine Iulij mensis collectæ sint, earumque æstimatio efficiat 12. num pro rata præteriti temporis, quinque ex illis: pro rata autem ceterorum mensium, ex vindemia portiones deducantur; vel an messium & vindemiæ pro vtroque tempore simpliciter fiat contributio. Sed cum messium non vera fuerit locatio, & totius anni vnus fructus sit; nulla est ratio, quare messes à vindemia separari debeant. ergo illis simul contributis, portiones faciendæ sunt.

De intellectu l. 4. de manumiss. testamento. declaratio. Cap. XXIV.

SCRIBIT Paulus in *l. 4. in fi. de manumif. testa.*
hoc modo;

Illud constat, si libertate data sic fuerit legatum, eique si eum vindicta liberauero hæres meus decem dato; licet ex nimia subtilitate separatum sit legatum à testamento, attamen humanitatis intuitu valebit legatum, si viuus eum manumiserit.

Quæ verba concisa admodum sunt, & intricata;
nec

nec enim aperit Iuriscons. quam hic dicat subesse subtilitatem; quare & Accursius subtilitatem illam inexplicatam reliquit. Hæc autem mihi, Pauli sententia esse videtur. testator Stichus seruo libertatem testamento dedit; postea autem legatum ei hoc modo adscripsit;

Sticho, si eum vindicta liberauero, hæres meus x. dato.

Testator eum viuis manumisit, quæritur an ei testamento legatum debeat? & videretur quod non. conditio enim in factum testatoris concepta est, & hæres statim conditione existente rogatus est dare; ergo si testator viuis manumittat, intelligitur & hæres statim, ac viuo etiam testatore ad dandum obligatus esse; ita enim verba præ se ferre videntur. anticipat igitur hæc obligatio hæredis ipsum testamentum. iuris autem ratio non patitur, vt hæres ante acquisitam hæreditatem obligatus censeatur; *l. 63. in fin. prin. ad l. Falcid.* vel vt quicquam ex testamento debeat, prius quam aditione vires acceperit. *l. 9. de testa. inte.* Atque hoc esse arbitror, quod Iuriscons. dicit, nimia subtilitate separatum esse legatum à testamento, id est, legatum quasi ante testamentum deberi, atque ideo nihil commune cum testamento habere, eaque de causa inutile esse. Nam nec spes libertatis ante aditionem quicquam operatur, *l. 2. in fin. princ. l. 9. §. vlt. de statuliber.* quamuis adita postea hæreditate, fauore sui redintegretur; quod in legatis, quæ non simili fauore subnixæ sunt, secus dicendum est. Concludit tamen Iuriscons. humanitatis intuitu, valere legatum ac seruo deberi.

Vera

Vera species leg. 2. C. de conditionib. insertis.

Cap. XXV.

IMPERAT. Seuerus & Antoni. A A.
Gallieno; Cum patrem familias fidei-
commissi nomine, quod in diem certam
reliquit, ita cauere præcepisse proponas,
si à marito non diuertisset; iurisdictionis
originem perinde seruari æquum est, ac si
nihil super ea re scriptum fuisset, nec ex-
emplum legati, vel hæreditatis, in quibus
conditio diuortij nonnunquam remitti
solet, huic rei comparandum est; cum ab-
surdum sit, ideo perpetui edicti formam
negligi, quia patris sui voluntati non ob-
temperatur.

Perplexæ est hæc lex, & satis perplexe etiam ab
Accursio & alijs explicata. hæc autem mihi videtur
vera eius esse species. Testator legauit Sempronio
fundum Seianum, rogauitque vt eundem post cer-
tum tempus restituat filiæ testatoris, si statim caue-
at, se non diuersuram à marito; filia cauere non vult
atque interim etiam à marito diuertit; tempore
adueniente, petit à Sempronio fideicommissum in.
Sempronius negat ei deberi, tum quia non cauit,
tum quia contra iniunctam conditionem fecit.
Defendit se filia hoc colore, ac dicit; Si pater meus
testamento illam scripsisset conditionem, Si cauis-
sem me diuersuram, certe remissa mihi fuisset &
cautio & conditio; *l. 5. C. de institu. & subst. sub cond.*
at si

at si forte secundum voluntatem patris & cauisseti
& diuertissem illo casu, non ob id indigna fidei-
commissio fuisset: ergo in proposito quoque, licet
diuerterim, non videtur mihi hoc nocere debere.
Cum enim utroque casu diuerterim, censendum
& idem ius utroque casu locum habere. Sed re-
spondent Impp. absurdam esse hanc allegationem,
magnamque subesse diuersitatis rationem, nam illa
conditio inhonesta est, quare merito remittenda:
hæc autem licita & honesta, ergo implenda, si ad fi-
deicommissum admitti velit. Item licet in illa quis
diuerterit, tamen secundum voluntatem testatoris
id fecit, quare excusationem merebitur; in hac autem
contra voluntatem eius quæ & iusta & honesta est,
id fit: quare poena potius, quam fauore digna, cen-
sebitur. Cum enim conditioni secundum ius com-
mune satisfacere debuerit, nec remissioni, nec ve-
niæ impetrationi locus erit. Quod igitur de iuris-
dictione & edicto dicit; ad illam partem spe-
ctat, qua cautum fuit, ut conditionibus testamen-
to scriptis, quis satisfacere teneretur, & quod con-
ditione defectus à relictis excluderetur.

Verus intellectus l. 44. ad l. Falcid. contra Accurs.

Cap. XXVI.

VLPIANVS libro XXI. ad edictum: Fal-
cidia interuenire non potest, si statu-
liber de alieno dedit, non de bonis defun-
cti: vel alias est liber homo, qui conditio-
nem impleuit.

Hæc

Hæc lex licet perbreuis sit, non recte tamen ab Accursio explicatur: vult enim ipse de eo hic agi, an quod alienum non ex peculio statuliber det, in Falcidiam hæredi computetur; quod quamuis & alibi negetur, *l. id autem infr. eod.* tamen quæstio illa verbis huius legis non congruit; non enim dicit Iuriscons. in Falcidiam non imputari, sed Falcidiam in eo non interuenire; hoc est (vt ego quidem arbitror) Falcidiam ex eo non deduci. Quare intelligendum est, hoc à Iurisconsul. quæri, an de eo quod statuliber conditionis implendæ causa, non hæredi dare grauatus est, Falcidiam hæres deducere possit? Et distinguendum, vt si ex peculio suo det, Falcidia in eo locum habeat. si vero de alieno, minime; non enim in bonis defuncti fuit, quod datum est. Idem, si non seruus, sed liber sit, qui dare iussus est. nam licet & is de peculio suo, quod ad dominum spectare creditur, dederit; tamen Falcidia in eo non interueniet. nec enim peculium liberi hominis intelligitur. *l. 182. de verbo. sign.*

Vera explicatio §. vlt. in l. 3. de hæredibus institut. Cap. XXVII.

APERTVRÆ tabularum dilatio, necessarij hæredis ius non mutat: vt solemus in substituto impuberi dicere. nam est relatium, si se arrogandum dederit, substitutus impuberi defuncto filius, necessarium eum fore.

Flu-

Fluctuat in expeditione huius §. Accursius, nec quicquam certi quod sequatur habet. Hæc autem vera est eius sententia: quod dilatio extrinsecus adueniens, ius necessarij hæredis mutare non possit: ut est dilatio aperturæ tabularum. Si enim qui tempore testamenti, & mortis testatoris, potest esse necessarius, ut filius in potestate, intra tempus aperturæ tabularum arrogandum se dederit; per hoc non desinet esse necessarius. quia apertura nihil cum testamento commune habet, nec ex ipso testamento pendet, sed potius fortuita est. *l. 26. §. idem imperator. de fideicomm. liberta.* Secus, si hic filius sub conditione potestatiua hæres scriptus sit, & pendente conditione se arrogandum dederit, *l. 20. de liber. & posthum.* Cum enim hæc conditio, ex necessario voluntariū faciat, *l. 69. ad fi. l. 86. de hered. instit. l. 12. de conditio. instit.* non mirum, si ea pendente arrogandum se det, necessarius esse desinat. Idem in substituto impuberi necessario: nam si pater impuberi fratrem in potestate substituisset, veruissetque pupillares tabulas ante mortem aperiri, *l. 8. testamen. quem. aperi. §. igitur. institut. de pupilla. substit.* & ipse frater se medio tempore arrogandum dederit, non efficit quo minus impuberi defuncto necessarius sit. *l. 2. §. prius. l. 10. §. 1. de vulga. & pupilla.* Quamuis enim hæc dilatio ex dispositione testatoris sit, tamen non ipsum substitutum respicit, sed extrinsecus consideratur. Nec obstat, si quis dicat, ipsam substitutionem, conditionalem esse institutionem; *leg. 41. §. cohæredem. de vulga. & pupilla. l. in ratione. §. quod vulgo. ad leg. Falcid.* nō enim voluntaria, sed necessaria est conditio, quæ vulgaris conditionis formam ac regulam non sequitur.

quitur.

quitur. Bartol. §. & quid si tantum. l. Gallus. Quod autem in principio, de apertura testamenti diximus: ad leges & S. C. refertur, quibus vetabatur certo tempore aperiri testamentum: & quibus hæres ante apertum testamentum, hæreditatem adire prohibebatur. l. 3. §. quod ad causam. l. 4. §. & per totum. ad Syllania. Lex autem Papia ad liberos non pertinebat. l. 1. C. de cadu. tollend. l. si fratris. C. de iure deliberan. Idem, si alia quacunque ex causa apertura testamenti differatur.

Vtilis ac commoda interpretatio l. si filius familias. ad l. Falcid. qua ostenditur, quomodo veterum Iuricons. argumentationes explicanda. Cap. XXVIII.

VARIE Iuricons. quandoque partium allegationes, & ea quæ vltro citroque in cognitione dicta fuerunt, adducunt: simul & ipsi nonnunquam contra suammet sententiam, tam subtiliter & argute argumentantur, vt non leuis operæ sit, in quibusdam omnes illorum rationes atque argumenta explicare. Magnum enim in veteribus illis Iuricons. fuit ingenium, mirum acumen, absolutissima iuris cognitio: adeo vt in quam multis vix illorum mentem, vel tenuiter nobis assequi datum sit. l. in ratione. §. quod vulgo. §. seq. ad l. Falcid. Supra tamen quam dici potest, vtile est, tales eorum argumentationes, quoad licet, curiosius excutere & perscrutari. præterquam enim quod ingenium mire acuat, nihil ad subtilitatem iuris percipiendam, remque ipsam perfecte intelligendam conducibilius. Et quamuis omnium fere per omnia æqualis sit
e laus

laus, l. 1. §. cumque hac materia. C. de veteri iure enu. duo
 tamen in eo genere mirifice excellunt, Paulus &
 Triphoninus. l. Nefennius. de nego. gest. l. 38. de minorib.
 l. 53. de adm. tuto. l. 56. §. vlt. de iure dot. l. 4. quibus ad liber.
 procla. non l. 1. §. si accusationem. ad Turpilian. l. 48. 50. de
 iure fisci. l. 12. §. si quis seruū. de captiuis & postli. l. 19. §. pa-
 ter. de castrens. pecul. Quare vnum Pauli locum nōni-
 hil explicare conabor, ex quo & de cæteris conie-
 ctura fieri poterit. Scribit is, quæsitum fuisse, si filius
 familias veteranus decedens, codicillis patris sui fi-
 deicommissit, vt peculium suum castrense Titio
 post mortē restitueret, an vt hæres, pater inde quar-
 tam deducere possit. Et respōdet, quod vtiq; idque
 probat ab autoritate. Nam diuum Pium constitui-
 se, & in fideicommissis ab intestato Falcidiæ esse
 locum. l. 3. C. ad Trebellia. l. vlt. C. quando dies legat. ced.
 Contra id excipiendo Paulus opponit à diuersis,
 idque ex vi & proprietate verbi: illud quidem in he-
 reditatibus ita constitutum est, verum in proposito
 non est hæreditas, sed peculium. l. 1. 2. de castrens. pecul.
 Quod rursus replicando oppugnatur à pari. at cum
 aliquis à filio institutus est hæres, isque adeat, desi-
 nit esse peculium, & incipit esse hæreditas. d. l. 2. &
 l. 18. de stipula. seruo. l. 33. de acqui. re. dom. Duplicando &
 illud refellitur à differentibus. Id quidem verum
 est in extraneo instituto adeunte, at cum apud pa-
 trem manet peculium, pristinum ius peculij durat,
 l. 9. 14. de castrens. peculio. Quod similiter triplicando
 per instantiam à simili oppugnatur. Quid refert,
 id quod à filio familias relictū est, hæreditas sit, nec-
 ne: nam nec eius qui apud hostes mortuus est, pro-
 prie est hæreditas, l. 3. in fi. de verb. sign. vtiq; tamē in
 eius

eius testamento exercetur Falcidia. *l. 1. §. 1. ad l. Falci.*
 Quadruplicando & illud quoq; à speciali tollitur.
 Id quidē fictione *L. Corneliae* ita introductū est, nō
 quod iure cōmuni ita se res habeat. *d. l. 1. §. 1.* Ex qua
 argumentatione, quasi necessario consequi vide-
 batur, Falcidiae in proposita specie locum non esse.
 Diuersum tamen Paulus concludit, ac sententiam
 suam primum à lata verbi significatione probat: nā
 licet pater proprie non sit hāeres, quasi tamen hēre-
 dem esse, dicendū est: *l. 3. §. Pomponius. de minorib.* prae-
 fertim cū & filius familias in castrensi peculio, quasi
 pater familias iudicetur: *l. 6. §. vlt. de iniusto rup. ir. cum
 similib.*

Deinde exemplis aliarum legum, argumento
 à contrarijs, vt scilicet contrariorum eadem sit dis-
 positio per contrarium, confirmat. Ac primo: nam
 si pater scriptus fuerit à filio hāeres, & rogatus resti-
 tuere hāereditatem, cogi potest à fideicommissario,
 adire hāereditatem, & restituere; *l. 1. §. hoc autē ad Treb.*
 quo casu pōenam amissionis Falcidiae suffert. *l. 4. 16.*
§. idem Martianus. ad Trebell. l. 4. in fi. C. eod. ergo econ-
 tra, si sponte restituerit, commodum deductionis
 quartae merebitur. Deinde, si pater scriptus hāeres à
 filio, omiserit ex testamento hāereditatē: ad legata &
 fideicommissa, exemplo edicti tenetur: *l. 17. §. 1. de
 castrensi peculio.* ergo & contra, si ex testamento adie-
 rit, exemplo aliarum legū quartam deducet. estque
 argumentatio à causa testati, ad causam intestati. *l.*
3. C. de inoff. donat. Cum autem æquiparatio plerum-
 que ad omnia extendatur, *leg. 1. ibi Dd. de legat. 1.*
 necessario hinc & alia consequuntur, scilicet,
 vt non solum fructus in quartam, *leg. 18. in fin.*

prin. ad Trebell. sed etiam quartæ fructus computentur. l. 22. §. si heres. ad Trebellian. l. 3. C. eod. Item ut vtilis actiones ex S. C. transeant: §. restituta autem. institut. de fideicommiss. heredi. & ut non solum hæreditas fiat peculium, post restitutionem: sed & hære dis loco habeatur, cui restitutum est. l. 5. §. 1. quod cum eo qui in alie. Quæ axiomata tamen, & argumētorum exempla, nemo fere hinc colligit, cum tamen optime hinc colligi posse videantur. Ut autem studiosi intelligant, hanc per omnia esse mentem ac sententiam Juriscons. verba ipsa legis subijciam:

PAVLVS; Si filius familias qui militauerat, decedens, patris sui fidei commisisset codicillis, ut peculium suum castrense Titio restitueret; quærebatur, an ut hæres quartam deducere posset? Dixi; Legem Falcidiam indictam esse à diuo Pio, & in intestatorum successioneibus, propter fideicommissa. Sed in proposito nec hæreditatem esse; quamuis placeret mihi extraneo herede instituto, fieri hæreditatem eius aditione; nam cum apud patrem remanet, ius pristinum durat, & peculium est. Nec huic contrarium est, quod in testamento eius qui apud hostes decessit, exercetur Falcidia; nam fictio L. Corneliæ & hæreditatem & hæredem facit. Sed nemo dubitabit, quin debeat id quoque indulgeri legis beneficium. siquidem
quasi

quasi patrisfamilias bona restituere cogatur; & hæres scriptus, omissa ex testamento aditione, exemplo edicti, legatorum nomine conuenietur. His consequens erit, vt si ex fructibus medio tēpore quartam, & quartæ fructus habuerit pater, etiam Trebellianum S. C. inducamus, & vtilis actiones exerceri possint, fiatque hæreditas per restitutionem.

Duobus locis Accursium non satis sententiam Iuriconsult. percepisse, atque aliud quam voluerunt interpretatum.

Cap. XXIX.

SCRIBIT Vlpianus, l. 8. in prin. si seruit. vindi. cum qui oneris ferendi seruitutem debet, reficere debere: non autem ad hoc teneri, vt ædificium vicini, quamdiu paries reficitur, fulciat. Deinde adjicit:

Et hic quoque, sicut in cæteris seruitutibus, actio contraria dabitur, hoc est, ius tibi non esse me cogere.

Quibus verbis tātum de fultura ædificij agi vult Accurs. Ego vero hæc verba ad refectionis onus & seruitutem referri debere existimo: scilicet, quod ab initio conuenire & pacisci liceat, vt is cui seruitus debetur, reficere teneatur. quod si factum fuerit, is qui seruitutem debet ferendi oneris, contrariam, hoc est negatoriam actionem, ex causa & in

vim exceptionis intentare poterit, vt dicat, ius tibi non esse me cogere, scilicet ad reficiendum. Quamuis enim ex natura seruitutis, refectio ad eum qui debet seruitutem, spectet, *l. eum debere. de seruitu. vela. l. etsi forte. §. etiam de. si seru. vindi.* tamen non dubium est, quin contra pacisci liceat. Qui locus me admonet, vt & alium non recte ab Accursio explicatum iudicem: is est in *l. venditor. §. vlt. communia prædi.* vbi Iuriscons. ita scribit:

Ita tamen lapides cædere debet, vt neque vsus necessarij lapidis intercludatur, neque commoditas rei iure domino adimatur.

Quæ verba priora Accurs. intelligit de eo qui cædit, ne scilicet illius vsus intercludatur, cum potius de domino fundi intelligenda sint: nempe vt ita cædere debeat, ne dominus, si forte necessario opus habeat, ipse carere cogatur. nec enim æquum est, alios lumere, dominum autem egere. *l. præses. C. de seruit. & aqua.* Est ergo hæc Iurisconsul. sententia, cum ita cædere debere, ne dominus ipse egeat, & ne ob hoc ei deterior vel incommodior vsus fundi reddatur. nam verbum Domino, ad vtramque clausulam referendum est.

De diuisione stipulationum.

Cap. XXX.

D I V I S I O N E M stipulationum quæ à Pomponio tradita est, *leg. 5. de verbor. obligat. institut.*
de di-

de diuis. stipulat. multi explicare conati sunt: sed nemo adhuc (meo iudicio) satis exacte. Stipulationum igitur quædam iudiciales sunt, quædam prætorix, quædam conuentionales, quædam communes. Et in hac diuisione Iudiciales dictæ sunt, non à iudicio, sed ab ipso iudice: ad differentiam illarum stipulationum iudicialium, quæ ab Vlpiano in sua diuisione ponuntur: *leg. 1. de prætor. stipulat.* illæ enim non à iudice, sed à iudicio ita appellatæ sunt. nam propter iudicium, vt scilicet ratum sit, & effectum habeat, interponuntur, ac plerumque ipsum iudicium præcedunt. Hæ autem, de quibus hic agimus, à mero iudicis officio proficiscuntur; hoc est, ipsius autoritate & arbitrio, cum de causa cognoscit, interponi iubentur. proprie enim ad rem quæ sub iudice est, & ad finem litis & iudicij pertinent: nec principaliter per se, sed in consequentiam iudicij petuntur, & locum habent: idque multis modis. Nam quandoque, licet condemnatus sit reus, ad rem restituendam actori, isque restituerit; tamen fieri potest vt in eo periculum adhuc tam actori quam reo subsit, vel quod reus quicquam dolose in re restituta fecerit, quod ignoret actor, vel quod commodum aliquod inde sperare possit, vel quod reus illius rei nomine cuiquam sit obligatus, quo nomine post finitum iudicium non facile inuicem agere possent, nec etiam cautionem exigere. *leg. 4. Cod. depositi. leg. in bona fidei. Cod. de usuris.* Quare in restituenda vel tradenda re, de cautione vltro citroque interponenda, iudicis officium implorare possunt. ex parte rei, de dolo, vel ius rei

Cod. Circumstantia

non factum deterius, vel his rebus recte reddi, vel de euictione, &c. l. 18. 20. in fin. l. 45. de rei vindica. l. 9. §. ex hoc edicto. §. item Iulianus. quod met. caus. l. 15. de pignor. actio. l. 32. de noxalib. l. 58. de euictionib. l. 25. §. 1. solut. matrim. l. 15. §. idem Celsus. de actio. empt. l. 71. §. 1. de legat. 1. l. 21. §. 1. & 2. de adilit. edic. Ex parte vero actoris, his rebus recte præstari: per eam enim proprie eius indemnitati, qui vel tradidit, vel restituit; prospicitur. l. 19. 58. de rei vindi. l. 21. §. idem Pompo. de adilit. edict. l. 36. ad Trebell. l. 71. §. 1. de verbo. sig. Deinde fieri potest quod res petita absit, ac propterea condemnatio fieri non possit: quo casu, cautio iudicis officio interponenda est, pro qualitate negocij, vel de persequenda inquirendaue re: vel simpliciter, si in potestatem venerit, redierit, exhiberi, restitui. l. 14. §. aliquando. §. pro eo autem qui. quod metus causa. l. 21. de rei vindica. l. 5. §. vlt. ad exhibend. l. 69. §. vlt. de legat. 1. cum similib. Tertio fieri potest, quod res ante cōdemnationem dolo vel culpa perierit, vel alias præstari nō possit, sic vt lis eo nomine æstimanda sit: quo casu de æstimatione certo tempore præstanda cauendum est. l. 4. in fi. l. 5. de in litem iurand. Et referri possunt in hunc numerum: cautio de refundendo, leg. 5. §. vlt. l. 7. in prin. de tributo. l. 9. §. vlt. l. 52. in fi. de peculio. item si quandoque locupletior factus fuerit, solui: l. 43. in fin. de adm. tuto. l. 47. §. si semel. de pecul. l. 63. §. id quod facere. pro socio. item de restituendo, soluendo, certo loco, vel tempore, & aliæ infinitæ. leg. 11. 27. §. si per filium. de rei vendic. l. 4. §. 1. de eo quod cer. loc. l. 12. §. si iusta. ad exhib. Et dicitur his casibus, officio vel arbitrio iudicis, cautio præstari, l. 14. §. pro eo autem. quod met. caus. l. 3. de tutel. vel ratio. distra. l. 13. §. si sub conditio-
ne. l.

ne. l. 16. in prin. l. 57. in fi. de petit. hered. vel per iudicem caueri; habet enim locum, vbicunq; sub finem iudicij de aliquo cauendum est. Prætorix sunt, quæ à mero prætoris officio proficiscuntur: hoc est, apud eum qui iurisdictioni præest, interponuntur, & dictæ sunt, non ex eo quod prætor eas introduxit: vt in l. 1. de prætorijs stipula. sed quod prætoris aditione, præsentia, autoritate, iussu, imperio in illis opus sit: non enim apud simplicem iudicem exerceri possunt, sed apud eum qui iurisdictionem & imperium habet: nec indicij alicuius suscepti nomine, sed principaliter per se petuntur. Vt igitur omnia iudicia à prætore petebantur, & constituebantur: ita & has stipulationes, quod actionum instar essent, l. 36. de actio. & obligat. leg. 1. §. cautionales. de præto. stipula. apud ipsum in iure & peti & interponi necesse erat. non quidem omnes, sed eas tantum quæ peculiariter prætoris aditionem requirebant. Prætoris autem appellatione & proconsul & præses in prouincijs, l. 7. §. vlt. l. 8. 9. in prin. de officio procons. l. 10. 11. de offic. presid. cum omnium Romæ magistratum officio fangerentur, continebantur. Et sunt huius generis damni infecti stipulatio, & legatorum nomine cautio, & si quæ similes: quæ id proprium habent, vt ab initio, & principaliter tantum, ac per se, absque iudicij susceptione petantur; nec enim supradictæ cautiones in iudicium incidere possunt, sed absolutam tantum habent prætoris implorationem & iussionem. In quem numerum si quis & referat cautionem quæ ab arrogatore arrogato præstatur, forte non errauerit. l. 18. 19. de adoptio. §. cum aut impubes. instit. eod. Vt autem omnia ne-

e § gocia

gocia ciuilia, fere ad iurisdictionem prætoris pertinebant: *l. 2. §. cumque consules. de origi. iuris.* ita specialiter emptiones & vendiciones ad iurisdictionem ædiliam curulium spectabant: *leg. 63. de ædilit. edict.* quare & cautiones, quas eo nomine secundum formam edicti, ab initio principaliter interponi necesse erat, de vitijs, de morbis, &c. apud illos ferre expediebantur. magistratus enim erant, *leg. 2. §. deinde cum placuisset. de origi. iuris.* & de illis rebus, de quibus proponebant edicta, iurisdictionem habebant, & iudicia dabant. *l. 1. in princ. leg. 28. 38. 63. de ædilit. edic.* Quæ autem cautiones, suscepto de emptis vel venditis rebus iudicio incidebant, iudiciales erant. *leg. 21. §. 1. & 2. leg. 26. 30. in princip. de ædilit. edict. cum similib.* Conuentionales stipulationes quæ sint, minus obuium est. Communes stipulationes sunt, quæ nonnunquam principaliter, & vltro per se, ab eo qui iurisdictioni præest, petuntur; nonnunquam incidenter suscepti iudicij nomine, à iudice qui de causa cognoscit, interponi iubentur; vt fit in cautione, rem pupilli saluam fore. Ab initio enim quandoque tutores apud prætorem rem pupilli saluam fore cauere tenentur; *leg. 2. in fi. rem pupill. sal. instit. de satisfd. tuto. in prin. l. 2. C. de tutor. vel cura. qui satisfd. non.* quandoque & in iudicio idem fit. *leg. 13. in princip. de tutor. vel cura. datis. l. 5. versic. communes. de verb. obligat.* Idem in cautione de rato, & stipulatione duplæ: nam vel per se apud prætorem, vel ædilem, vel etiam iudicij suscepti nomine apud iudicem peti & interponi possant. *d. l. 5. versic. communes.* Et referri huc possunt cautiones, Euicta hæreditate legata reddi; i. e., Quanto amplius cepit quã per

per

per L. Falcidiam licuit, restitui; item cautiones de usufructu, & aliæ innumerabiles. Quorum cautionum omnis generis magnum numerum in Indice meo (quem breui proditurum spero) studiosi inuenient.

*Vera species ac sententia §. i. l. cum secundis. de his
quæ vt indig. ause. Cap. XXXI.*

QVONIAM stuprum in ea contrahi non placuit, quæ se non patroni concubinam esse patitur; eius qui concubinam habuit, quod testamento relictum est, actio non denegabitur: idque in testamento Coccei Cassiani, clarissimi viri, qui Rufinam ingenuam honore pleno dilexerat, optimi maximique Principes nostri iudicauerunt; cuius filiam, quam alumnam testamento Cassianus nepti cohæredem datam appellauerat, vulgo quæsitam apparuit.

Quæcunque Accursius in interpretatione huius §. comminiscitur, plane aliena sunt à sententia Papiniani, ac fere ridicula: vt quiuis facile iudicare potest. Quæstio autem hæc est: An concubinæ testamento relinqui possit. & videbatur non posse: cū quasi stupri commercium cum ea sit: ob quã turpitudinem nihil relinqui posse, certum est. l. 14. *supr. eod.* Cum autem concubinatus legibus sit permissus l. 3. *de concubi.* diuersam Papiniano videtur: nec enim in concubina, cum lege permittente habeatur, stuprum committitur. Quod eo magis in

gis in ea concubina, quæ patrono iuncta est, intelligitur; cum liberta multo honestius patroni sit concubina, quam vxor. *l. i. de concubi.* Vnde apparet, concubinæ recte testamēto relinqui posse, actionemque ei non denegari. Ex quo & sequitur, quod quæ admodum matri concubinæ, ita & liberis eius, ex alio ante concubinatum susceptis, relinqui possit; cum si turpis esset coniunctio, æque in liberis atque in matre inutile esset relictum. Idque exemplo probat. Rufina enim ingenua mulier, filiam vulgo conceperat; postea se in concubinatum Coccei Cassiani dedit. quam cum fere vxoris loco dilexisset, moriens filiam eius vulgo conceptam, tanquam scilicet alumna sua esset, vna cum nepte sua hæredē instituit. quæsitum fuit, an institutio iure valeret: & iudicarunt Principes, ob non illicitum concubinatum institutionem valere. Posset & in eo intelligi, qui alterius concubinam, inuito illo, sibi iunxisset; in qua cum stuprum non committatur, non prohibetur ei liberisque eius testamento relinqueri. quod secus est in liberta, quæ in patroni est concubinatu; quam si quis inuito patrono sibi iunxerit, quasi stuprum cum ea contraxisse intelligitur, nec relicta valebunt. *l. i. ibi gloss. de concubi.*

Dilucida explicatio l. si seruo. de adimendis legat. Cap. XXXII.

PAULVS libro IX. Quæstionum; Si seruo cum libertate dato legato, & alienato, adimatur libertas; quamuis alieno inutiliter adimatur, tamen legatum adempto-

emptorem non peruenturum. & merito. Constitit enim ademptio, quia possit redimi; sicut datio, cum in eum confertur qui faciendi testamenti tempore fuit testatoris, deinde alienato libertas datur. Quid ergo, si eum quem liberum esse quis iusserat, manumiserit viuus, deinde codicillis libertatem ei ademerit? videamus an perdidit legatum vana ademptio libertatis, quod quidam putant. sed superuacua scriptura non nocet legato.

Seruo suo testator cum libertate legatum dedit, deinde eum alienauit; qua alienatione libertas perempta est, legatum autem ad nouum dominum pertinet. *l. quæsitum. §. seruo. §. si quis Stichum. de legat. 1.* Pone ergo dominum postea in codicillis adimere huic seruo alienato libertatem; quæritur, num talis ademptio libertatis, noceat legato, quod diximus ad nouum dominum spectare? Et videbatur non nocere; nam inutilis est talis ademptio. cum enim per alienationem libertas extincta fuit, *l. seruo libertatem. de conditio. & de. inutilis plane & superuacua erat ademptio codicillis scripta. inutile autem nullum effectum producere potest. l. 14. §. 1. supr. eod. l. 8. §. Marcellus. ad Velleian.* Aliud tamen Iuriscons. videtur; scilicet ademptionem illam, licet aliquo casu inutilem, diuerso tamen casu aliquid operari posse. nam cum seruo testamento manumisso, media tempora non noceant; *l. Aristo. l. verum est de manu. testa.* si hic seruus alienatus, ante mortem testatoris, in potestata-

testatem ipsius reuertatur, & libertatem & legatum consequetur: ergo & quod medio tempore in prauiudicium eius codicillis scriptum est, ipsi nocere poterit: si enim in potestatem testatoris reuertatur, id ipsum effectum suum habebit. quod in dicta ademptione libertatis apparet: *l. vlt. in fi. infra eod.* nam reuerso eo in potestatem; legatum non debetur. proprio enim seruo testator sine libertate legare non potest: *l. seruus vxori. l. si socius. de heredib. instit. cum similibus.* quod autem ademptum est, nec datum intelligitur. *l. 14. de legat. 1.* Ex quo & consequitur, legatum illud ad nouum dominum non pertinere; sufficit enim ademptionem illam libertatis ab initio, propter ius & suspensionem medij temporis, recte constituisse; *l. prox. infr. in prin.* & aliquo casu, redemptione scilicet alienati serui, legatum perimere potuisse.

Nam quamuis post alienationem serui, codicillis scripta fuit: tamen propter coniunctionem testamenti & codicillorum, perinde de ea iudicatur; ac si testamento scripta fuisset: *l. 2. §. 1. de iure codicillo.* quo casu non dubium, per eam extinctum fuisse legatum. *d. l. seruo libertatem. cum similib.* Idque probat per contrarium, in datione libertatis; quae quamuis prima facie inutilis videri possit, tamen per eam & confirmari poterit alias inutile legatum, *l. 8. §. penult. de iure codicillo.* Nam certum est, seruo suo sine libertate legari non posse. Pone, testatorem in testamento legasse seruo, postea eum alienasse; legatum nouo domino non debetur. Quid autem si codicillis postea scriptis, libertatem seruo det; num per talem dationem, & legatum testamento scri-

scri-

scriptum confirmetur, vt ad nouum dominum spectare possit? Et videbatur non confirmari; quia libertas alieno seruo inutiliter datur. *leg. Seruius. cum similibus. de manu. testa.* Sed tamen & hoc casu, propter coniunctionem testamenti & codicillorum diuersum dicendum est. nam & si medio tempore mortis redimeretur seruus, & legatum & libertas in persona eius consisterent; ergo & ad nouum dominum, libertate scilicet per alienationem extincta, legatum spectabit. Sed quid? Si seruo & libertatem & legatum testamento dedit; postea eundem inter viuos manumisit, codicillis autem deinde factis libertatem ademerit; num talis ademptio legato officiat? quod similiter, propter coniunctionem codicillorum cum testamento videbatur; nam si rursus in seruitutem redigeretur, talis ademptio ei obstaret, nec ex testamento libertatem & legatum consequi posset. Sed hoc casu ademptionem illam omnino inutilem ac superuacua esse Iurisconsul. dicit, nec legato nocere. nam libertas inter viuos data, efficacior est quam alienatio; *leg. prox. §. i. l. 34. §. liberum hominem. de contra. emptio.* nec tam facile reuocatio in seruitutem, quam redemptio serui alienati sperari ac prospici potest.

De intellectu l. si quis testamento. de statuliber.

Cap. XXXIII.

IULIANVS lib. VII. Digestorum; Si quis testamento libertatem acceperit
sub

sub conditione, si rationem reddiderit; debet pro hæreditaria parte hæredibus reliqua solvere, etiamsi nomina quorundam hæredum sint in conditione posita.

Miratur hoc loco Accursius, quare Iuriconsul. nominibus hæredum expressis, pro hæreditarijs partibus cuique reliqua deberi dicat; cum certi iuris sit, nominum priorum expressionem, viriles inferre partes. *l. 54. §. vlt. l. si hæredes. de legat. i. l. nonnunquam. ad Trebellia.* ideoque varias adfert solutiones, quæ textui non congruunt. Sciendum est igitur, nomina quorundam hæredum, non solutioni reliquorum adiecta, sed conditioni reddendæ rationis hoc scilicet modo; Stichus si arbitrio Sempronij, Titij, Seij, hæredum meorum rationes reddiderit, liber esto. quo casu videbatur, non omnibus hæredibus reliqua deberi; sed illis tantum, quibus rationem reddere iussus esset. ex quo & sequeretur, pro virilibus eos admitti. Quod Iuriconsul. negat, ac dicit omnibus hæredibus pro hæreditarijs portionibus reliqua deberi, licet quorundam nomina in conditione reddendæ rationis expressa sint.

*Commoda explicatio l. Plautius. ad L. Falcidiam,
Cap. XXXIV.*

PLAVTIVS; Seruo quem tibi legaeram, fundum legavi. Atilinicus, Nerua, Sabinus, primum in seruo rationem legis Falcidiæ habendam, & quota pars ex eo decederet, eam partem in fundo inutillem

lem futuram: deinde ex reliquis partibus fundi, legis Falcidiæ portionem decessurâ, sicut ex omnibus legatis. Cassius; Quod seruo pars lege Falcidia decedat, incipere seruum fieri communem hæredis & legatarij. communi autem seruo cum legatum sit, totum pertinere ad socium: quia in eã personam legatum consistere possit. qua ratione semel ex fundo partem legis Falcidiæ decessuram. Paulus: Cassij sententia utimur. nam & diuus Pius rescripsit; seruo communi fideicommissum datum, totum ad socium pertinere.

In specie huius legis fœde erratur, sic vt vulgo sententiam eius non recte percepisse videantur. quare & varie textus mutatur: cum tamen lectio Florentina, quam & adscripsi, verissima sit. Quærit autem Plautius: Si seruo legato fundus legatus sit, & Falcidia interueniat, quomodo in vtroque legato ratio ineunda sit? Et recenset diuersas Iuriscons. de hac re sententias. primo Atilicini, Neruæ & Sabini: qui voluerunt, primum in seruo rationem Falcidiæ habendam, vt intelligatur, quota eius portio Falcidiæ nomine ad hæredem spectare debeat, quæ portio, si forte vel sexta vel septima est: iudicauerunt, & tantam partem in fundi legato esse inutilem. peruenit enim res in eum statum, vnde non potuit incipere. *l. ii. de seruitutib. l. 16. ad l. Aquil.* Nam sicut hæredis seruo pure legari non potest: *§. an seruo hæredis. institut. de legatis. cum similib.* ita & si seruus

f cui

cui legatum est, pro parte postea eius esse incipiat; perimi pro ea parte legatum dicendum est: ut quod iuris in toto, idem in parte sit. *l. quæ de tota. de rei vind.* Cum autem utile per inutile non vitiatur, *l. 2. §. sed & si mihi. de verbo. obligat.* voluerunt cæteras partes fundi ad legatarium serui pertinere, in eisque & Falcidiam esse locum. Deinde Cassij in hac re sententiam refert: qui voluit quidem, primum in seruo quarendam esse Falcidiam: ut sciatur, quota eius pars apud hæredem remaneat, noluit tamen eo nomine quicquam de fundi legato diminui. Quare alia regula iuris præsentem quæstionem dirimendam censuit, nempe illa: Si seruus communis vni dominorum acquirere non possit, totum ad socium pertinere: *§. vlt. instit. de stipula. verbo.* quod in omnis generis acquisitionibus locum habet. *l. qui bona. §. vlt. de acquir. re. domin. l. 1. communis seruus. de stipulat. seruo. l. 12. de autho. tutor.* plures enim domini, non quasi ab initio, sed concursu partes habere intelliguntur: *l. 1. §. 1. & 2. de usufruct. accres.* ut illis potius non decrescere, quam accrescere censeatur. Quare cum ob Falcidiam seruus communis esse incipiat, hæredis & legatarij, idem & hoc casu dicendum est. Cum enim persona sit, in qua totum legatum suo iure consistere possit: quod aditæ hæreditatis tempore spectatur, *leg. 11. de optio. legat.* ex accedenti pro parte interire non debet: vna igitur tantum Falcidiam nomine, non duplex deductio ex fundo fieri debet. Quam sententiam Paulus rescripto diui Pij à simili confirmat.

L. Marcellus. de in rem verso, aliter quam ab Accursio factum sit, explicata. Cap. XXXV.

MARCELLVS notat: Interdū & propter hoc, quod in rem alterius socij versum est, de in rem verso cum altero agi potest; qui conuētus, à socio petere potest id in quo damnatus fuerit. quid enim dicemus, si peculium seruo ab altero ademptum fuerit? Paulus: Ergo hæc quæstio ita procedit, si de peculio agi non potest.

Sententiam huius legis (nisi fallor) Accursius assecutus non est: atque ideo diuersum aliquid à mente Iuricons. interpretatur, in eo, quod peculium ab eo in cuius rem versum non est, ademptum esse existimat. quo certe casu dubium non esset, cum eo nullo modo, sed cum altero tantum agi posse. Quare omnino ponendum, de eo Iuricons. loqui, in cuius rem versum est: vt is scilicet peculium ademisse intelligatur. apparet enim cum eo de in rem verso agi non posse, quamdiu apud alterum est peculium, cum quo de peculio sit actio. Nam quamdiu illa, de peculio scilicet, locum habet, hæc illius est accessoria, in ijs qui socij sunt: nec principaliter intendi potest. Atque hoc est quod Paulus subiicit: Hanc quæstionem, scilicet de eo quod in rem alterius versum est, cum altero sociorum de in rem verso agi posse, ita procedere: si non cum eo, in cuius rem versum est, sed cum altero de peculio sit actio: qui certe quod præstiterit, societatis vel com-

muni diuidundo iudicio ab altero repetet. Si enim is in cuius rem versum est, peculium non ademerit, arbitrator eum prius de peculio conueniendum: atque alterum si conueniatur, non iniuste exceptionem, Si nō in rem alterius versum sit, obijcere posse. Atque hæc mihi videtur esse Iurisconsulti sententia.

De certis & incertis contractibus admonitio.

Cap. XXXVI.

QUOD Iurisconsulti passim de contractibus certis vel incertis dicunt, *l. terti condictio. si certum petatur. l. i. §. debitum autem. de constitut. p. leg. 18. in princ. de acceptila.* id fere Accurs. de certo vel incerto quod in contractum vel obligationem deductum est, intelligit: quemadmodum & alibi certa vel incerta stipulatio dicitur. *l. stipulationum quedam. de verbo. obligat. vel stipulatio certi incertiue. l. si poenam. l. liber homo. §. vlt. de verbo. obligat. l. 4. de vsuris.* Cum certi contractus (meo iudicio) potius illi dici possint, qui nominati appellantur, scilicet quod certum ac proprium nomen contractus habeant. *l. iurisgentium. de pactis.* Incerti autem, qui vulgo innominati dicuntur, eo quod proprio non appellentur nomine. Nō enim illis locis, de eo quod in obligationem deductum est, sed de ipsa causa, contractu vel obligatione Iuriscōsulti loqui videntur. Sic & actio præscriptis verbis vel in factum, incertum iudicium, vel incerti ciuilis actio vel condictio dicitur: *l. si conueneri. commu. diuid. l. pen. depositi. l. 6. 16. præscript. verbis. l. 19. in fi. de precario. l. 9. 22. in fi. C. de donatio. hoc est (vt ego arbitrator) incerti contractus vel negocij actio, iudiciū*
vel

vel condictio. tunc enim locum habent, cum incertum est, quo nomine contractum negotium proprie appellandum sit. Idem in condictione incerti. nam & illa tunc datur, cum nominatæ illæ & specialiter introductæ condictiones, proprie locum non habent; sed negotium subiectum ad similitudinem illarum ita accedit, vt condictionem dari æquum sit. *l. 22. in fi. l. 40. §. 1. de condic. indeb. l. 12. in fi. de condic. fur. l. 5. 8. de actio. empt.* Dicitur tamen quandoque & incerti agi, cum ob quantitatem nõ expressam, ad interesse tantum datur actio, *l. vlt. si quis in ius voca. non ierit. l. 68. de verbo. obligat. l. 2. §. incertam. de prator. stipulat.* sed de eo illis legibus non agitur.

Noua ac probabilis explicatio §. Cato. in l. 4. de verb. obligat. Cap. XXXVII.

CA T O lib. xv. scribit; Pœna certæ pecuniæ promissa, si quid aliter factum sit; mortuo promissore, si ex pluribus hæredibus, vnus contra quam cautum sit, fecerit; aut ab omnibus hæredibus pœnam committi pro portione hæreditaria, aut ab vno tãtum pro portione sua. Ab omnibus, si id factum de quo cautum est, indiuiduum sit; veluti, Iter fieri. quia quod in partes diuidi non potest, ab omnibus quodãmodo factum videretur. at si de eo cautum sit, quod diuisionem recipiat, veluti amplius non agi, tum eum hæredem, qui aduersus

uersus ea fecerit, pro portione sua solum
 pœnam committere. Differentiæ hanc
 esse rationem, quod in priore casu omnes
 commisisse videntur: quod nisi in soli-
 dum peccari non poterat. vt in illa stipu-
 latione; Per te non fieri, quo minus mihi
 ire agere liceat. Sed videamus ne non
 idem hic sit, sed magis idem quod in illa
 stipulatione, Titium hæredemque eius
 ratum habiturum; nam hac stipulatione
 & solus tenebitur, qui non habuerit ratum;
 & solus aget, à quo fuerit petitum, idque &
 Marcello videtur, quamuis ipse dominus
 pro parte ratum habere non potest.

Cato vnâ tantum pœnâ stipulationum
 diuisionem, ex parte scilicet hæredum promitten-
 tis, persequi videtur: eamque maxime illustrem.
 nempe quod quandoque, licet per vnum tantum
 factum sit, quo minus stipulationi satisfiat, tamen
 pœna ab omnibus pro parte hæreditaria commit-
 tatur: scilicet quando factum à testatore promif-
 sum, non solum sui natura indiuiduum est, sed
 per hæredes primum præstari vel consummari de-
 bet: veluti si spondidisset defunctus, iter fieri,
 fossam fodi, domum ædificari, vacuam possessio-
 nem tradi, operas præstari, vel etiam seruitutem
 constitui, &c. Quandoque vero, licet per vnum
 contra factum sit, pœna non nisi pro eius hæredi-
 taria portione committatur: scilicet cum id quod
 in sti-

in stipulationem deductum est, inter hæredes ipso iure diuisum est, veluti *AMPLIUS NON AGI*. Quæ diuisio diserte intelligenda est, & ad id tantum de quo agitur restringenda: scilicet ad hæredes promissoris tantum, & quatenus ipsi inter se teneantur: quo nomine illa duo maxime inter se contraria complectitur, nempe quando omnes hæredes simul, nullo excepto, obligati sunt: item quando non omnes tenentur, sed vnus solum, pro portione sua hæreditaria. Fuit autem eius opinionis Cato, quod ad hanc diuisionem omnia facta diuidua & indiuidua referri posse putaret: siue in faciendo, siue non faciendo consisterent: *leg. 75. §. qui id quod. infr. eod.* siue ad faciendum aliquod opus, vel constituendum quicquam, siue simpliciter ad non impediendum stipulatorem spectarent. Quare & ad priorem partem accommodat exemplum, quo principalis res, & sui quidem natura, & hæredum nomine indiuidua est. quo ad stipulationem autem, de simplici facto atque prohibitione hæredum agatur, veluti

Per te non fieri, quo minus mihi ire agere liceat.

Qua stipulatione, cum olim quidem constituta fuit seruitus, de eo solum agitur, ne stipulator constituta seruitute vti prohibeatur: idque pœna adiecta, si contra fiat. Cum autem principale illud, super quo interposita est stipulatio, nempe via, indiuiduum quiddam sit, quod nec hæredum promissoris nomine, vllam diuisionem recipiat: *l. 2. in*

f 4

prin.

prin. §. 1. l. 72. in princ. eod. tit. cum similib. voluit Cato,
 suprascriptam stipulationem ad prius membrum
 suæ diuisionis spectare; scilicet vt si vnus hæredum
 ire agere prohibeat, & cæteri pro portionibus hæ-
 reditarijs teneantur. Quod diserte secundum di-
 uisionem à Catone propositam, intelligendum est;
 nempe vt omnes hæredes, nullo excepto, pœnæ
 nomine teneantur: ita vt etsi vnus totâ pœnâ præ-
 stet, à singulis pro portione hæreditaria repetere
 possit, ipse que suam partem computare teneatur.
 Atque hoc est quod Cato dicit, ab omnibus hære-
 dibus pœnam committi pro portione hæreditaria:
 cum alias pro iure stipulatoris, singuli in solidum
 conueniri possint. l. 2. §. item si in factio. l. 85. §. quod si
 stipulatus. eod. tit. l. 25. §. in illa quoque. l. 44. §. quod ex fa-
 cto. famil. erciscund. Quod Paulo iniquum videtur:
 reprehendit itaque Catonem, quod hoc exem-
 plum priori membro suæ diuisionis per omnia cõ-
 uenire voluit: Vt & alibi l. 2. §. idem Iulianus. de eo quod
 certo lo. l. 2. de hered. instit. l. 98. §. aream. de solutio. cum
 magna hic sit rationis diuersitas. Quamuis igitur
 Catonis diuisio vna cum exemplis subiectis in se
 vera sit, tamen non omnia exempla ad eam referri
 possunt: quare subdivisione cætera exempla di-
 fertius explicanda erant. Nam licet inter hoc ex-
 emplum, & illa de quibus in priori parte dictum
 est, magna sit indiuiduæ rei nomine similitudo:
 tamen illa proprie ad rem ipsam vel faciendam, vel
 perficiendam, vel constituendam pertinent, quod
 pro parte nullo modo fieri potest. leg. 72. in princ. l.
 85. vers. secunda ad opus. infr. eod. leg. 80. §. quedam. ad leg.
 Falcid. quare eo nomine non minus is per quem

non

non stat quo minus fiat, quam is per quem stat, tenetur, in solidum enim peccatum est, & ab omnibus quodammodo factum videtur, vt ipse Cato subijcit. fuerat enim in illius arbitrio, post præstitutum cohæredi tempus, vel integrum facere ac præstare, *l. fideicommissa. §. si in opere. de legat. 3. leg. 2. §. ex his supra. eod. l. 25. §. contra si promissor. l. 44. §. vlt. famil. ercis.* ne pœna quæ grandior forte erat, committeretur. ergo quo ad effectum rei, non minus ipse quam alter tenetur: & si pœna soluenda sit, non minus ipse quam alter, per quem reuera stetit, eam sufferre cogitur: & siue ipse soluerit, siue alter, vtique ei pars hæreditaria imputari poterit. verum est enim, & per eum factum quo minus in solidum fieret; quare non simpliciter alterius nomine, sed & suo tenetur: communis ergo erit pœnæ commissio. At in eo exemplo quod Cato superioribus simile esse voluit, scilicet,

Per te non fieri, quo minus mihi ire agere liceat,

longe aliud est.

Quãuis enim stipulatio seruitutis nomine, quæ indiuidua est, interposita sit; nec stipulatoris interfit, ab vno an à pluribus prohibeatur: *l. 3. in fin. l. 85. vers. quod si stipulatus. eod. titul.* semper enim in solidum prohibetur; quare & pœna quo ad ipsum in solidum committitur, ita vt cum quolibet (vt supra dictum est) experiri possit; quod quidem ex parte stipulatoris iustum est, ne qui in solidum prohibitus est, tantum partem pœnæ consequatur; de quo

f s pro-

proprie non agit hic Cato, tamen ex parte hæredū
 p̄ omissoris inter se, multum interest: nec enim
 factum cohæredis, meum factam est. *l. 9. in fin. leg.*
10. depositi. l. 44. §. quod ex facto. famil. ercisc. & quam-
 uis pro iure stipulatoris, in solidum conueniri pos-
 sim: tamen pro iure nostro inter nos, si solui in-
 tegram pœnam, non partem pœnæ, sed integram
 pœnam familiæ erciscundæ iudicio à cohærede
 consequi poterō: nec enim est quod mihi impu-
 tari possit. Vtrumque igitur membrum ad rem
 perfecte intelligendam, subdiuisione opus ha-
 bere videtur. nam quo ad prius membrum, quan-
 doque hæredes promissoris non solum ex vnius
 facto omnes tenentur, & conueniri possunt: sed
 & si pœnam soluerunt, eius sibi hæreditariam par-
 tem computare coguntur. quod fit in illis stipu-
 lationibus, quarum principio memini. Estque
 ratio, quod & ipsorum in eo (vt dixi) culpa anim-
 adueri possit. Quandoque hæredes promissoris,
 stipulatoris causa in solidum quidem conueniun-
 tur: verum quicquid soluerunt. ab eo per quem
 factum est, totum repetere possunt. Quod fit, cum
 nulla eorum culpa in eo quod vel factum, vel non
 factum est, versatur. nec enim si cohæres meus a-
 liquem prohibeat, vel dolo quicquam faciat, *l. 2. §.*
item si in facto. l. 4. in princip. supr. vel non soluat, leg. 5.
§. vlt. infr. l. 25. §. idem iuris est in famil. erciscund. id me
 vlla ex parte contingit: quamuis pro iure stipula-
 toris, in solidum conueniri possim. idque ea ratio-
 ne, quod ex hæredum persona, obligationis pœna-
 lis conditio non immutetur. *l. 2. §. ex his. supr. l. 2. §. in-*
certam. de pret. stipul. itē q̄ prohibitio, vel dolus, pro
parte

parte intelligi non possint. *leg. 9. 22. ad fin. depositi. leg. 17. iudica. sol. leg. 85. vers. quod si stipulat. infr.* Sic & alterum membrum Catonianæ diuisionis, subdiuisione distingui potest. Quandoque enim hæres qui contra fecit, in solidum & ad totam pœnam tenetur: vt in altero membro præcedentis subdiuisionis contingit. Quo & Paulus referre videtur stipulationem **REM RATAM HABERI**. Inter quam tamen & superiores hoc interest, quod hic ob vnus factum cohæredes conueniri non possint; forte quod non de tanto hic agitur, vel damno vel delicto; vel quod nihil in personam ipsam stipulantis committatur. Quandoque hæres contra faciens, non in solidum, sed pro hæreditaria tantum pœnæ parte obligatus est; quod contingit, cum id quod stipulatione continetur, ipso iure diuisum est; veluti **AMPLIUS NON AGI**. nec enim quisquam pro maiori parte, quam pro qua hæres est, agere potest. *leg. 18. in princip. rem rat. haberi.* quod quamuis & in stipulatione **RATAM REM HABERI**, similiter videri posset; tamen quia rati habitio per se considerata facti est, nec ita vt actiones & iura, *leg. 25. §. an ea. §. idem iuris est. famil. erciscund. leg. 26. Cod. de pactis. ipso iure per Ll. xij. Tab. diuisa est; placuit, eum qui ratum non habeat, solum, & ad integram pœnam teneri. Solus enim plerumque de integro & toto actu vel re intelligitur; l. generali. §. 1. de vsufr. lega. l. 5. in princ. de ijs qui deiece.* atque hoc modo accipiendum est, quod passim legitur, *leg. 44. §. si quis stipulatus. famil. erciscund.* & Paulus hic subiicit; Eum qui ratum non habeat, solum teneri. vt non intelliga-

telligamus eum solum teneri pro portione hæreditaria, vt in stipulatione **AMPLIUS NON AGI**: quod & Alciato videtur, & verba præ se ferunt. ipsa enim rati habitio per se, vt pote principaliter in obligationem deducta, hac stipulatione consideratur: non quod in consequentiam fit, scilicet si postea agere incipiat, præsertim cum & separatæ sint stipulationes, *l. 14. 15. ratam rem haber.* atque etiam ad multa alia ea rati stipulatio accommodari possit. *l. 1. §. cautionales. de præto. stipulat. l. 10. 11. 20. ratam rem haber.* Quod igitur Paulus dicit, stipulationem,

Per te non fieri quo minus mihi ire agere liceat, magis similem illi, Titium hæredemque eius ratum habiturum;

non eo eo spectat, quasi per omnia similes sint: sed solum ad improbandam omnimodam similitudinem, quam Cato inter illam, & stipulationem **ITER FIERI** esse voluit, dictum est. nam quamuis, quantum ad stipulatorem, sit quædam similitudo, cum vtraque stipulatione totam pecuniam consequatur, nec eius intersit à quo ei soluatur: tamen quo ad hæredes promissoris (de quibus proprie hac lege agitur) magna est differentia: priore enim cohæredes nullum damnum in effectu patiuntur, cum quicquid soluerunt, repetunt: altera, pro rata suæ partis damnum subeunt. Non mirum igitur si Paulus illam, stipulationi **RATAM REM HABERI**, magis similem iudicauit. vtrobique enim cohæredes indemnes manent: hic à principio, illic ex post facto. Nec quisquam eo moueri debet, quod Paulus hic subdiuisiones illas tam explicate non tractet: non enim ei hoc erat propositum, cum similitudinem

tudinem illam à Catone adductam tantum improbare ac notare voluit. nec enim fere vno loco Iurifconss. omnia exequi solent: multæque passim diuisiones reperiuntur, quæ collatione aliorum locorum, atque etiam ex rationibus iuris ciuilibus, prolixiore explicatione indigent. Huius autem interpretationis meæ hæc est potissima ratio: quod Paulus, dum dissimilitudinem inter illas stipulationes, ITER FIERI, &

Per te non fieri quo minus mihi ire agere liceat,

esse voluit; non simpliciter hanc alteri membro dixit conuenire. quod nec potuit; cum nimis notum sit, ex ea & cæteros conueniri posse, quod in altero membro nõ est. nam quamuis diuersum à quibusdam olim fuerat existimatum, l. 85. §. quod si stipulatus. *infra.* tamen Paulus reiecta vbique illorum opinione, contrariam sententiam veriore affirmit; inepte ergo ex improbata aliorum opinione argumentaretur. Præterea si hæc fuisset eius sententia, satis erat si illud Catonis exemplum adduxisset, & cum illo contulisset; quod non facit, sed cum alia stipulatione, nempe

Titium hæredemque eius ratum habiturum,

confert. Vnde & plane apparet, eum non omnino eodem loco habuisse hanc ratistipulationem, cum illa **AMPLIUS NON AGI** alias vel inepta (vt dictum est) fuisset argumentatio, vel propius similitudinem notasset. nec enim in hac portionum hæreditariarum facit mentionem,

tionem, quod erat necesse, si eam omnino eiusdem naturæ cum stipulatione **AMPLIVS NON AGI**, esse voluisset. Quod autem in fine à Paulo adijcitur, ipsum dominum pro parte ratum habere non potuisse; ex quo quasi à contrario sequi videretur, & ipsum cohæredem ratum non habentem, non in solidum, sed pro portione hæreditaria teneri; sciendum est, illam collationem non ad diuisionem portionum hæreditariarum, sed potius ad diuisionem ipsorum hæredum referendam esse; scilicet, quod quidam teneantur, quidam non teneantur; cum ipse dominus, licet pro parte ratum non habeat, vtique in solidum ad pœnam obligatus sit. Atque hæc quidem (meo iudicio) fere necessaria est huius §. interpretatio, siquidem Florentinam lectionem in hac posteriori parte veriorē fateamur; nam in priori, vulgaris rectior est. Si vero ex vulgari lectione & illa verba recipere-
MUS, ET PAVLVS RESPONDIT NON ESSE IDEM; (quæ nescio quam bene congruant, cum fere non soleant Iurifconss. in medijs argumentationibus adijcere, se ita respondiss.) simplicior nō nihil esset explicatio, & apertior illius quidem stipulationis, **PER TE NON FIERI, QVO MINVS MIHI IRE AGERE LICEAT**, ad prius Catonis membrum; huius vero, **TITIVM HÆREDEMQUE EIVS RATVM HABITVRVM**, ad posterius membrum relatio. Sed non solum prædicta absurda obstarēt, verum & rationes Iuris ex superioribus repugnare viderentur.

Varius

*Verus intellectus l. cum dominus. in princ. de pecul.
legat. Cap. XXXVIII.*

PAPINIANVS lib. VII. Responso. Cum dominus seruum vellet manumittere, professionem edi sibi peculij iussit, atque ita seruus libertatem accepit, res peculij professioni subtractas non videri manumisso tacite concessas, apparuit.

Species huius legis, ex interpretatione Accursij posita, prorsus aliena est à mente Iurisconsulti; nec verbis congruit, vt paulo diligentius inspicienti facile liquet. hæc autem mihi videtur vera eius essentia. Quamuis seruo inter viuos manumisso, peculium, si ademptum non sit, tacite concessam intelligatur; *l. 1. C. de peculio eius qui liber. me.* tamen si dominus edi sibi professionem peculij iusserit, per hoc potius peculium sibi recepisse, quam seruo concessisse censetur; ea enim de causa professio peculij fuit imperata. Ex quo & sequi videbatur, quod dominus professione contentus, cætera quæ professione non continerentur, seruo tacite concessisset. Quod Papinianus negat in ijs, quæ à seruo per dolum & fraudem professioni subtracta sunt. Dolum enim in omni causa exceptus censetur. *leg. creditor. §. Lucius Titius. mandati. leg. tres fratres. de pactis. leg. 5. §. Iulianus. leg. qui plures. l. L. Titius. §. tutela. de admin. tute.*

Corre-

*Correctus ac restitutus §.vtrum.in l.si is qui ducenta.
de rebus dubijs. Cap. XXXIX.*

QUAM horridus & tractatu difficilis sit hic §. nemo est qui non intelligat; nūquam autem mihi persuaderi poterit, integram atque incorruptam eius esse lectionem; nisi Iulianum mera nobis ænigmata prodidisse, affirmare velimus, ut enim cetera taceam, quid vers. Animaduertendum igitur. scrupulosius, quid intricatus, atque etiam dissolutius? Quare semper arbitratus sum, aliquid ibi ad perfectam sententiam deesse. Existimo igitur ita partem illam esse restituendam, ac legendam.

Animaduertendū igitur est, quid sit de quo queritur. nā cū ita cōcipio; Si illud aut illud factum non erit; quæri debet, an aliquid factum sit. cum vero ita, Si quid eorum factum non erit; quæri debet, an aliquid factum non sit. Illius effectus hic est, ut neutrum fiat; huius autem, ut vtrumq; fiat. nec in illo nocet, aliquid non fecisse, si aliquid factum sit; neq; in hoc prodest aliquid fecisse, si aliquid factum non sit.

Atque hoc modo recte cohærebunt omnia, veraque erit formularum illarum explicatio, confert autem Iuricons. conceptiones illas stipulationum inter se, per contrarium. ac primo indicat, quomodo prior non commissa, altera vero commissa censetur.

seatur. secundo explicat, quomodo ediuerso prior commissa, altera non commissa intelligatur. tertio aperit, quid in priori non noceat, vt commissa: in altera vero non profit, quin commissa iudicetur. Atque hoc modo clara & expedita sunt omnia.

Noua ac vera explicatio §. forsitan. in l. Gallus. de liber. & posthum. Cap. XL.

ED rō tante aliquot annos nouas in capita quēdam l. Gallus explanationes: quarum cum me nondum pœniteret, libuit eas quales quales essent, & hic subiicere, sunt autem tales. Cum Galli formula de nepote tantum posthumo instituendo cōcepta esset, Scæuola eam & in pronepotibus quoque posthumis locum habere posse interpretatus est: & varias species recensuit, quæ verbis quidem & formulæ Galli non includantur, verum ex mente atque interpretationē admitti æquum sit. Cum enim magna sit fortunæ in rebus humanis potestas, infinitaque casuum varietas, non omnia in dispositionibus satis diserte exprimi ac verbis caueri possunt, quare tandem suadet, §. *quid si qui filium. in fin.* cum tam magna sit huius rei utilitas, fauorableque admodum sit, testantium iudicia quoquo modo sustineri; quo omnes occasiones rumpendi auferantur: vt etiam admittatur, generaliter fieri posse posthumorum institutiones; hoc scilicet pacto:

Quicquid sibi liberorum natum erit post mortem: aut, Quicumque natus fuerit.

§

Quibus

Quibus generalibus verbis, tanquam in rem conceptis, non solum omnes casus, quibus quis suus fieret: sed & omnes posthumi, siue hi nepotes, siue pronepotes, & cæt. essent, complecterentur. Alias si quis nominatim nepotem posthumum institueret, & aliquo casu pronepos quamuis suus, nasceretur, de eo institutio nullo pacto esset intelligenda: vbique enim de nepote vel pronepote nominatim instituendo fit mentio. §. *idem credendum.* Sed quia & istis casibus, quibus tam generalis facta esset institutio, Scæuola ingenij perspicacitate præsentiebat non leuem posse incidere scrupulum, hunc in §. forsitan subtiliter admodum monet atque explicat: sed tam obscure atque intricate, vt hætenus omnes, vel etiam doctissimi in eo recte percipiendo defecerint. Proprie autem hic §. ad id quod supra in §. quid si qui filium. in fi. dixerat, est referendus: quod & Taurellus annotauit. verba autem ex vulgari distinctione sic se habent:

Forsitan addubitet quis, an istis casibus si nepos post testamentum nascitur, viuo patre suo; deinde ex eo concipiatur, isque mortuo patre, deinde auo nascatur; an non potuerit hæres institui, quia pater ipsius non recte institutus esset? quod minime est expauescendum. hic enim suus hæres nascitur, & post mortem nascitur. ergo & sic pronepos admittetur, qui natus erit ex nepote postea viuo filio, atque si ex eo natus esset adoptatus.

Species

Species huius §. talis est: Testator viuo filio nepotem ex eo nasciturum generali formula instituit, hoc scilicet modo:

Quicquid mihi liberorum natum erit, aut, Quicumque mihi natus fuerit, post mortem meam, hæres esto.

Natus est hic nepos viuo patre suo, atque etiam auo: quo casu institutio illa omnino est inanis & vacua, adeo vt nullo casu, nec ad Galli formulam cum viuo testatore auo sit natus: nec ad L. Velleiam, cum viuo patre suo natus, eo tempore quo nascitur, auo non sit suus (quod primum caput L. Velleiæ requirebat) possit referti. excedit enim hic casus vtramque dispositionem, quemadmodum Iuliani casus §. *ille casus*. vtrumq; caput L. Velleiæ. Senserat autem præcipue de hoc nepote testator, quia eo tempore quo testamentum faciebat, non poterat de alio quam de hoc nepote, qui proxime post testamentum erat nasciturus, cogitare. arg. l. *si quid earum*. in fin. de legat. 3. quamuis enim generaliter, quisquis sibi post mortem suam esset nasciturus instituit, tamen id de eo qui tum proxime sperabatur, omnino erat intelligendum: præsertim in tam curiosa veterum in testamentis subtilitate. l. *matrimonij*. qui & à quib. ma. l. *eum qui calendis*. de verbo. obligat. leg. bonos. §. 1. de verbo. significat. Cum autem is viuo patre suo atque auo sit natus, videbatur institutionem illam officio suo functam, ac consumptam, nec ulterius vim atque effectum vllum habere posse.

ad circumstantias

vtique enim de proxime nascituro sensit: & verba dispositionum, præsertim in testamentis qua primum possunt, operantur, vel operari debent. *l. ult. in fi. commu. præd. l. si plures. de conditio. instit. l. Arethusa. de statu. hom.* relinquebatur igitur hunc nepotem non recte institutum, cum licet de eo præcipue institutio facta sit, tamen in eius persona locum habere non potuit: de quo non est dubium. Sed si ex hoc nepote, viuo patre eius, ac testatore, alius conciperetur: isque mortuo patre suo, deinde auo, filio scilicet testatoris, nasceretur: eo nimirum tempore, quo testator manente supra scripto testamento, iam recens esset mortuus: quod semper his casibus qui ad Gallum spectant, est præsupponendū. Hic posset ingens dubitatio suboriri, num pronepos iste à proauo recte censeretur institutus, & clausula testamenti contineretur. quod non videbatur: primo, quod difficulter posset iudicari de hoc pronepote testatorem sensisse, cum de eo non potuerit verisimiliter cogitare: nec enim de persona ad personam facile admittitur extensio. *l. si quis ita. §. si quis cum. de testa. tute. de inde,* quod pater eius, nepos scilicet testatoris (vt supra deductum est) non recte esset institutus: quo casu testamentum quasi ruptum poterat censerī. *leg. commodissime. hoc titulo.* Absurdum autem, & contrarietatem quandam implicare videbatur, vt in quasi rupto testamēto quis utiliter institutus iudicaretur. Nam quamuis nepotes non opus erat instituere, *§. in omnibus. hac l. instit. de exhereda. libero. in princ.* tamen hic nepos cum post testamentum fuerat natus, quasi posthumus poterat iudicari: *l. posth. de iniusto rup.* qui certe nepotes posthu-

posthumi, si tempore natiuitatis vtiliter non reperi-
 ebantur instituti, rumpebant: §. *posthumi quoque.*
instit. de exhere. libero. quemadmodū & nepotes iam
 nati, si successione agnascebantur. §. *idem credendum.*
in si. hac l. & l. posthumorum. de iniusto rup. Sed tamen
 quia non verus erat posthumus, vtpote viuo suo
 patre natus, aliud Scæuolæ videtur: dicit enim hoc
 minime esse expauescendum. & subiungit rationes,
 quibus illis quæ dubitationem facere videbantur,
 respondet. Primo, quod licet testator de eo verifi-
 militer non cogitarit, tamen vti que verum sit, eum
 tempore suæ natiuitatis suum hæredem esse, atque
 etiam post mortem testatoris natum, quod sufficit
 vt verbis illis generalibus comprehendatur: §. *quid*
si qui filium. hac l. referuntur enim ad omnem, qui
 testatori post mortem suus nasceretur. *l. placet. l. seq.*
hoc titulo. cum igitur id huic pronepoti contigerit,
 non videtur illa dispositione excludendus. Secun-
 do dicit, nihil referre, quod nepos iste non recte sit
 institutus: non enim per hoc vitium adferri testa-
 mento, vt ruptum censeatur, cum nunquam fuerit
 suus iste nepos, vt qui viuo patre suo, qui primum
 suæ natiuitatis locum tenuit, sit natus, & illo etiam num
 viuo mortuus, ita vt nunquam vim rumpendi ha-
 buerit: nec plus facere huius nepotis natiuitatem,
 quam si fuisset extraneus, & à testatore viuo filio
 in nepotem adoptatus. quamuis enim adoptione,
 quasi sui hæredis agnatione, rumpebatur olim te-
 stamentum: *l. verum est. de iniusto rupto.* tamen cum
 quis viuo filio in nepotis locum adoptabatur, quā-
 diu filius viuebat, nō agnascebatur auo suus heres,
l. si quis nepotem. de adoptio. quare & nullum ius rum-
 pendi

pendi habebat, cum eius institutio non esset necessaria. Quomadmodum ergo ex hoc nepote adoptato conceptus pronepos, si mortuo patre suo, deinde auo, filio scilicet testatoris, nasceretur: recte suprascripta formula testamenti comprehenderetur: nec ei obesset, quod pater eius illa formula non recte esset institutus: nec enim verbis institutionis quæ tantum posthumi facerent mentionem, continebatur. sic & in proposito casu, cum hic non adoptatus, sed ex filio natus fuit. nam cum utroque casu hic nepos viuo patre suo, siue naturali, siue adoptiuo moriatur, nec vnquam suus factus sit: non potest eius vel præteritio, vel institutio, testamento vel posterioribus nocere. Atque hoc est quod dicit Scauola, quamuis obscure admodum, in ver. ergo & sic pronepos. cuius verba certe non mutanda, quod à nonnullis fit, sed alio quam hactenus factum sit modo distinguenda sunt, quod si fiat, nihil illis erit apertius, & aptissime superioribus congruent. Ita enim legenda & distinguenda sunt.

Ergo & sic pronepos admittetur, qui natus erit ex nepote postea;

hic subsistendum. Deinde: Viuo filio, atq; si ex eo natus, esset adoptatus. Vt hic sit sensus: Huc pronepotē, de quo quæritur, nepe qui natus est postea ex nepote, qui & ipse post testamentum ex filio erat natus: perinde admittendum, ne ei scilicet obsit patris vel præteritio, vel inutilis institutio: atque si viuo filio ex eo natus, scilicet nepos iste, esset adoptatus. vt enim hoc casu, adoptati nepotis vel præteritio, vel inutilis institutio, non
noce-

noceret pronepoti, qui recte institutione comprehenderetur: ita nec illo, quo nepos iste ex filio esset natus. Et hoc sensu omnia verba huius §. erunt clara, & nihil non proprie accipietur, & vers. ultimus aptissime prioribus congruet. Quis enim non videt, omnium explicationes, dum quod de adoptione dicitur, perperam ad pronepotem referunt ad Galli formulam & Scæuolæ interpretationem nihil omnino facere? adeo ut mirandum esset, Scæuolam tale quiddam, quod omnino peregrinum, & à proposito alienum esset, immiscuisse.

De capitibus L. Velleia, & quæ illis ad perfectam sententiam deesse videantur.

Cap. XLI.

ID quoque hoc tempore præterire nolui, quod prius caput L. Velleiæ (meo iudicio) etiam à doctissimis non recte legitur. verba enim illa quæ statim sequuntur, ETIAMSI PARENTE VIVO NASCANTUR, non sequenti clausulæ (ut fere ab omnibus fit) annexenda, sed cum verbis L. Velleiæ legenda sunt: quod & Accursius annotavit, hoc scilicet modo:

Qui testamentum faciet, is omnis virilis sexus qui ei suus hæres futurus erit, &c. etiamsi parente viuo nascantur.

Hæc enim vltima prioris capituli fuerunt verba, quibus tota periodus, quæ forte longiuscula erat, claudebatur. totius autem prioris partis hæc fuit haud dubie sententia.

Qui testamentum faciet, is omnis virilis sexus, qui ei suus hæres futuruserit cum nascetur, instituendi potestatem habeto: quique ita scripti erunt, recte instituti sunt, etiam si parente viuo nascantur.

Hæc enim postrema verba, quasi caput ac fundamentum sunt prioris partis, ob quæ & L. Velleiæ interpretationem Galli formulæ Scæuola subiunxit: statim enim dicit, eam voluisse, viuis nobis natos, similiter non rumpere testamentum. quare & principium tantum & finem, in quibus tota vis eius partis sita erat, omissis cæteris quæ forte prolixiora erant, adscripsit. Quæ inconcinne autem hæc verba sequentibus coniungantur, nemo est qui non videret, cum enim posterius caput tantum de illis loquatur qui tempore testamenti simul sunt in vita: ineptum erit illi applicare de nepote, viuo patre & auo nato. quid enim id ad posterius caput pertinet? quo nihil de natiuitate agitur: cum qui post testamentum quoquo modo nascuntur, ad prius caput spectent. Ut taceam de alijs, qui etiam superflua quædam verba ex Pandect. Florent. adijcere conantur: quibus dum nimis superstitiose in omnibus inhærent, mirum in quam abstrusos quandoque delabantur sensus, quasi vero & in illis non infinitæ sint mendæ: & multa tam aperte falsa, vt nullo colore defendi possint, quamuis enim illarum Pandect. editione, Iurisprudentiæ ingens accessit lumen: indignum tamen fuerit, omnes illius scriptoris mendas & errores, etiam contra rationem Iuris, & Latini sermonis puritatem, pro mysterijs quibusdam venerari,

nerari,

nerari, nec latum quidem unguem ab illis discedere: denique nihil non fingere, ut tales lapsus sustineantur: quod certe nonnullos nescio quam feliciter facere videmus. Sic nec posterius caput à Scævola totum hic adscriptum puto, sed ea tantum verba adducta, de quibus in presenti præcipue agebat: hanc autem fuisse sententiam integri illius capitis arbitror.

Si quis ex suis hæredibus, suus hæres esse desierit, liberi eius, & cæteri in locum suorum sui hæredes succedunt: quique eorum ante instituti vel exhæredati erunt, successionem ne rumpunt.

Hoc enim illud est, quod paulo post scribit Scævola: *§. ille casus.*

Posteriore capite non permittit institui, sed vetat rumpi, neve ob eam rem minus ratum esset, quod succedit.

Qua de re, & quæ utriusque capitis ad Gallum fuerit ratio, alias quandoque, præter aliorum sententiam, prolixius agemus.

De intellectu §. vltim. in leg. Gallus.

CAP. XLII.

TANDEM in §. vlt. defectu unius vocalæ, totius orationis sensus mihi inuersus esse videtur. ita enim (meo iudicio) verba hæc legenda sunt:

Si nascetur nepos viuo patre suo, qui deinde emancipetur.

§ §

Cum

Cum enim in præcedenti §. tractauerat de nepote nato viuo patre suo, qui mox post natiuitatē nepotis decesserat: persequitur Scævola in §. vlt. eandem speciem, & quod ante dixerat de morte patris, extendit ad eius emancipationem: vt scilicet nec hoc casu, ex sententia Iuliani, hic nepos testamentum rumpere possit: eo magis, quod licet hoc casu filius emancipatus paternam hæreditatem repudiet, tamen nepos iste auo suus hæres non existat. Nam si de emancipatione nepotis (vt vulgo fit) hunc §. intelligamus, non video quid id ad hanc legem faciat: non enim de emancipatione huius nepotis, sed de eius vtili institutione, ne scilicet testamentum aliquo casu rumpat, tota lege agitur: quomodo autem emancipatus rumpere poterit? & insulsam admodum esset, de eo dubitare, num quis emancipatione suus hæres fiat, cum emancipatione sui hæredes esse designamus, §. *emancipati. institut. de hered. institut.* Quare quod de emancipatione dicitur, non ad nepotem, sed ad eius patrem referendum videtur. Alias postrema verba non congruent, nec aptam habebunt iuris decisionem. quis enim non videt, omnia quæ ad interpretationem illorum verborum adducuntur, & coacta esse, & minime verisimilia? Præterea & quod hunc casum ad receptam Iuliani sententiam refert, & tam diserte, quemadmodum in præcedenti §. de nepote viuo patre suo nato, exprimit, omnino esset ociosum. quid enim id ad huius nepotis emancipationem, momenti adferret: cum de nullo neque filio neque nepote dubium sit, quin emancipatione suus & necessarius esse designat?

finat? Quare ponendum, Scæuolam quærere, cum recepta sit Iuliani sententia, vt licet nepos institutus viuo patre nascatur, qui tamen mox decedat, rumpere non possit: num, si is pater non mortuus, sed emancipatus sit, patrisque institutionem repudiet, nepos auo suus & necessarius existat, quod videbatur, cum passim in iure legamus, emancipatione filij nepotem numero suorum hæredum esse §. *ita demum. institut. de hered. ab intestat.* diuersum tamen Scæuola probat. & potest forte eius esse ratio, quod hic filius eo tempore fuit institutus, quo cum præterire omnino non licuit: alias testamentum ipso iure fuisset nullum. §. *in omnibus. hac leg. institut. de exheredat. libero. in princip.* quare cum præcipua atque vnica fuit causa sustinendi testamenti in quo nepos est institutus: licet postea emancipetur, & paternam hæreditatem repudiet, non facit ita nepoti locum, vt suus & necessarius ex testamento fiat.

Sicque ex hoc §. notari posse videtur quod licet emancipatione filij nepos in locum sui hæredis succedat: *leg. posthumerum. de iniusto rup. leg. 1. §. si filius. de suis & legit.* tamen id non habere locum, si talis emancipatio post testamentum factum, quo is filius institutus sit, contingat: nam quamuis postea repudiet, vtique tamen nepos non erit necessarius, sed voluntarius. Quare & caute supra de emancipatione non filij, §. *& quid sit ancum.* sed tantum nepotis dixit: cuius institutio ad sustinendum à principio testamentum non est necessaria. §. *in omnibus. hac leg.* Si ergo institutus nepos, siue viuo, siue mortuo patre suo emancipetur, postea.

posteaque mortuo auo repudiet, impedimento nō erit, quo minus pronepos ex eo substitutus, suus sit hæres proauo. quod forte secus esset, si iā tempore testamenti, præmortuo patre, primum suitatis locum teneret; cum eo casu non minus quam filius necessario instituendus sit. *d. l. posthumorum*. Nisi & dicamus, nepotem illum non fuisse institutū; quod suadetur ex illis verbis, *§. idem credendum. in fin.* NE SVCCESIONE TESTAMENTVM RVMPERET. veletiam iam tempore testamenti emancipatum, quod apparet ex illis verbis; *§. & quid si tantum.*

Quid si nepos, ex quo pronepos institueretur (vt ostendimus) emancipatus esset.

quæ præteritum tempus respicere videntur. omnino autem hic *§. cum præcedenti vers. coniūgendus* est; vt ex sententia Alciati, quod antea dixit de morte nepotis, postea extendat ad eius emancipationē; eo enim spectat parenthesi illa (vt ostēdimus) qua aperte se Iurisconsultus ad præcedentia refert. Quo fit, vt Conani sententiam minime probem, qui vt quod de emancipatione dicitur, & ad filium trahat nepotem sub cōditione, si filius emanciparetur, vult esse institutum. quod verbis legis minime cōuenit. expresse enim Iuriscons. non de filij, sed nepotis emancipatione loquitur; nec de tali conditione nominatim adiicienda, tota lege quicquam agitur. Nec quenquam moueant illa verba, *POST MORTEM SCILICET AVI*, quæ pronepoti non apte congruere videntur; nam (licet alij aliter explicent)

meo iudicio verba illa demonstrationis tantum causa exprimuntur, vt indicet, de illis se casibus proprie loqui, qui ad Galli prouisionem, non ad L. Velleiam pertineant; quare nihil prohibebit, illa ad proauum extēdi, si de pronepote agatur. quemadmodum & in §. seq. vbi similiter verba illa parenthesi includenda sunt. Cum enim vtrobique de nepote & pronepote simul tractet, notat illis verbis, de illo se nepote vel pronepote tantum loqui, qui post mortem scilicet aui vel proauui nascatur; hoc enim indicat particula illa SCILICET, & quod vtrobique statim subdit, hos casus ad L. Velleiam non pertinere. Ideo autem de repudiatione adieci, quia cum emancipatione filij non censeatur extincta eius institutio, si filius paternam hæreditatem amplecti velit, obstabit nepoti. Quæ autem iure prætorio de filijs emancipatis, & nepotibus ex eis introducta sunt, ad hanc Legem non spectant; cum hic tantum de Iure antiquo & ciuili agatur.

quod & alij annotarunt.

F I N I S.

R E.



RERVM IN AN-
NOTATIONIBVS DETL.
LANGEBEKII PRÆCIPVA-

RVM INDEX: IN QVO PRIOR NV-
merus Caput, posterior Paginam
significat.

A

Accursius non assecutus sententiam §. si inter. leg. cum
hic status ff. de donat. int. vir. & vxor. 3. 25. Item
l. dotale prædium cuius ff. de fundo dot. 4. 27. Item l. 2. ff.
rem ratam hab. 6. 30. Item §. si Titius. l. si fundum sub
condit. de legat. 1. 13. 42. Item §. pater filios. l. pater fil.
de legat. 3. 16. 46. Item §. 1. l. 32. vsufr. leg. 18. 49. Item
§. sin vero fil. l. quasitum est. ff. pecul. 19. 60. Item l. 44.
ff. ad l. Falcid. 26. 52. Item §. vlt. l. 3 ff. de hered. insti. 27.
63. Item §. vlt. l. venditor. ff. cõmunia præd. 29. 70. Itē
l. 8. in prin. si seruit. vend. 29. 7. Item l. Marcellus. ff. de in
rem vers. 35. 81. Item l. 16. & vlt. ad S. C. Turp. 15. 45.
Item §. sed etsi vnus. l. 2. ff. de prætor. stip. 8. 35. Item §. vlt.
l. cohæred. de vulg. & pup. 11. 40

Accursius legis Velleia verba, circa primum Caput, recte le-
git. 41. 104

Accursii interpretatio circa §. 1. l. cum secundis. ff. de his quib.
vt indig. est aliena à sententia I. C. 31. 75

Accursii solutiones in l. si quis testamento. ff. statu lib. textui
non congruunt 33. 80

Accursii species facti ad l. cum dominus. de pecul. leg. est incon-
ueniens 38. 95

Ademptio libertatis an noceat legato 32. 78

Ædi-

I N D E X

<i>Ædiles olim magistratus erant</i>	30.74
<i>Ædiliū iurisdīctio qualis.</i>	ibid.
<i>Equiparatio extenditur ad omnia</i>	28.67
<i>Apertura testamenti 27.75. nihil commune cum testamento habet, nec ab eo pendet, sed fortuita est</i>	27.65
<i>Argumentum ab auctoritate, Iurisconsultis commune 20.66</i>	
<i>Argumentum à causa testati ad causā intestati 28.67. Itē à cōtrarijs ibi. à differentib. ibid. à diuersis. ibid. à lata verbi significatione. ibid. à pari. ibid. à simili. ibid. à speciali. ibid.</i>	

C

<i>Causa ex qua quid valet vel debetur, precedere semper debet. 1.14.</i>	
<i>Cautio quæ ab arrogatore arrogato præstatūr, est stipulatio pratoria</i>	30.74
<i>Cautiones iudiciales quæ officio iudicis præstantur</i>	30.72
<i>Certe rei scriptus hæres, cohærede non dato, ex asse hæres est</i>	
<i>Certi contractus qui dicantur, & vnde</i>	36.84 (11.40)
<i>Compensatio fit ipso iure</i>	17.47
<i>Conani sententia circa S. vlt. l. Gallus. improbata</i>	42.108
<i>in Concubina stuprum non committitur</i>	31.76
<i>Concubina an relinqui testamento possit</i>	31. eod.
<i>Concubinatus legibus permissus</i>	31. eod.
<i>Conditio alternatiua quid operetur in legatis</i>	1.14
<i>Conditio dandi vel faciendi fortuita, & an in ea pacisci li- ceat.</i>	2.22
<i>Conditio dandi vel faciendi potestatiua quid, & an pœnalis. 1.14. & 2.21</i>	
<i>Conditioni secundum ius commune satisfaciendum est 24.62</i>	
<i>Cōditiōne pendēte filius neq; institutus, neq; exheredatus i.</i>	
<i>Conditionibus testamento scriptis satisfaciendū 24.62 (14</i>	
<i>Confirmatio generalis non trahitur ad illicita</i>	3.26
<i>Confirmantur facilius ea quæ speciem veri habent, quā quæ pro</i>	pro

Circumstantie

I N D E X.

prorsus inania & nulla sunt. ibid.
*Continuatio in eadem persona facilius admittitur, quam
 noua adijcitur* 1.18

D

Defectus naturalis contractus S.C. confirmari nequit 3.25
*Dilatio extrinsecus adueniens, ius necessarij heredis mutare
 non potest* 27.64
*Dispositiones hominum, casus omnes comprehendere non pos-
 sunt* 40.98
Dolus in omni causa exceptus censeretur 38.96
*Donatio à matre restituere rogata inter viuos facta, an pro
 restitutione fideicommissi habenda* 12.41
*Donationes inter virum & vxorem, alias prohibita, S. C.
 confirmantur* 3.25

E

*Emancipatione filij, nepos numero suorum heredum est, &
 in locum sui patris succedit* 42.106
*Emancipatione filij facta post testamentum conditum, nepos
 est voluntarius, non necessarius heres* 42.107
Emptio donationis causa facta, nullius est momenti 3.26
Exceptio rei certæ in heredis institutione quid operetur 5.29
Exheredatus habetur pro mortuo 20.53
Exhereditio filij quando noceat nepoti ibid.
Exhereditio vires accipit, adita hereditate eod.
Extensio de persona in personam, non facile admittitur 40.

100

F

Factum coheredis mei, factum meum non est 37.90
*Falcidia an de eo quod statu liber implenda conditionis cau-
 sam, non heredi, dare grauatius est, deducti possit* 26.63
*Fideicommissi restitutio ante diem cedentem, & venientem
 non est necessaria* 12.41

Filius

I N D E X.

Filius in peculio castr. quasi paterfamilias iudicatur 28.77
 Filius exercēs nauē voluntate patris, in solidū eū obligat. 22.
 67. Florentinae Pandectae ingens lumen afferunt Iurispru-
 dentia. 41.105. scitent infinitis mendis. ibid.104
 Fortune in rebus humanis magna potestas est 40.97

H

Heres ante acquisitam hereditatem non obligatur 24.60. in
 multis nō vt heres, sed possessor agit, & conuenitur 8.65. nō
 pro maiore parte quā heres est, agere potest 77.91. sub cō-
 ditione scriptus, cauere substituto debet 10.38. Heredes pro
 missoris ex facto vnius, an & quādo oēs teneantur 37.90

I

Incerti agi quid dicatur 36.85. Incerti condictio quae, &
 quando locum habeat. ibid. Incerti contractus qui di-
 cantur, & quando locum habeant 36.84

Iniquum est alios sumere, dominum egere 29.70

Instituti in omnem causam, non collectivae, sed distributivae
 substituti videntur 7.34

In toto quod iuris est, idem in parte 34.82

Index Iuris ab auctore compositus, & quae sit eius utilitas in
 Praefat. 5. & 30.75

Ipsa iure fieri quid sit 17.47

Iuris civilis illustrandi noua ratio in Praefat. pag. 5

Iurisconsulti quando videndum esse dicunt, si non contrariū
 subiiciunt, id ipsum confirmant 8.35. in medijs argumen-
 tationibus nō solent adycere, se ita respondisse 37.94. non
 omnia vno in loco exequi solent 37.93. Iurisconsultorum
 argumentationes explicatae 28.65. Iurisconsultorum ve-
 terum laus 28. ibid.

Iudicia olim omnia constituebantur à pretore 30.73

L

Legatum quid 5.29

h

Legat.

CIRCUM

I N D E X.

Legationis tempore contrahens, an & quādo teneatur. 21. 55
 Legis Velleie primum Caput, hactenus etiam à doctissimis
 non recte lectum 41. 104

Libertas alieno seruo inutiliter datur 32. 78. extinguitur a-
 lienatione 32. 77. inter viuos data, efficacior alienatione
 32. 79

M

Male agens & petens proprie quid: aliter quam ab aliis expli-
 catum 17. 47

N

Necessarius heres esse an desinat filius, si se inter tempus aper-
 tura tabularum arrogandum dederit 27. 64. Item si sub
 conditione potestatiua scriptus heres, pendente conditio-
 ne sese arrogandum dederit ibid.

Nihil agere vere quid 17. 47

O

Omnes dictio vniuersalis est, & nihil excludit 7. 33. distribu-
 tiue intelligenda 7. 34

P

Pactum nudum exceptionem, non actionem parit 4. 27

Pœna ultra legitimum modum vsurarum promissa, quādo
 debeat 2. 22. Pœnalis obligationis conditio ex heredum
 persona non immutatur 37. 91

Pater in his quæ publicam vtilitatē attingunt, peculij nomi-
 ne insolidum conuenitur 22. 55. Item regulariter, non in-
 solidum, sed quantū in peculio est, obligatur 22. ibid. Pater
 scriptus heres à filio, & rogatus restituere, cogi potest à fi-
 deicommissario adire hereditatē, & restituere 28. 67. Itē
 si omittat hereditatem, tenetur ad legata & fideicommissa:
 si adeat, quartā deducet 28. eod. Itē, rogatus restituere, si
 sponte restituat, cōmodū deductionis quartæ meretur. ibid.

Patris volūtas duplex, tacita & expressa, circa peculium 22. 56
 Pecul-

incl.

I N D E X.

Peculium quandiu in manu filij est, eius esse censetur patrimonium *ibid.* *Peculij natura.* *ibid.* 65. *Pendentia* pro non existentibus habentur 1.14. *Plures domini* non ab initio, sed concursu partes habere intelliguntur 34.82
Posthumorum institutio quomodo fieri possit 40.97
Portionum loco, & vice portionum, quid significet 18.33
Præscriptis verbis, & in factum actio 36.84
Prætor omnium negotiorum civilium iurisdictionem habuit 30.74
Prætoris appellatione qui comprehendantur 30.eod.
Principale, non consequutium attenditur 1.22. *Principali destructo, corrui accessorium* 1.15. *Propriorum nominum expressio, viriles infert partes* 33.80

R

Ratihabitio facti est 37.91. *Resectio ex natura seruitutis, ad eum pertinet qui seruitutem debet* 29.70. *Resectionis onus, ei cui seruitus debetur, pacto imponi potest* eod.
Repudiās institutionem, an partem faciat in substitutione 7.33
Res & estimatio concurrere, simulque deberi possunt 14.44

S

Satis petere quid 10.38. *Satisfactionis exactio onerosa & contumeliosa.* *ibid.* *Seruus communis, si vni dominorum acquirere non potest, totum ad socium pertinet* 34.82
Seruo heredis pure legari non potest. *ibid.* *Seruo inter viuos manumisso, si peculium non adimatur, an concessum videatur* 38.95. *Seruo legato, si fundus sit legatus, & Falcidia interuenerit, quomodo in utroque legato ratio ineunda sit* 34.81.82. *Seruo suo si testator cum libertate leget, & deinde eum alienet, an valeat legatum, & ad quem pertineat* 32.77. & seq. *Idem si testamento libertatem & legatum dedit, postea eundem inter viuos manumisit, & codicillis factis libertatem ademit, an talis ademptio legato noceat.* *ibid.* *Seruo suo sine libertate inutiliter legatur* 32.78

h 2

Socie-

I. N D E X.

- Societas donationis inter vivos causa inita an valeat, & an
S. C. confirmari possit 3.25
 Solus dictio quomodo accipiatur 37. 91. Stipulatio de rato
 interposita, an & quando committatur 6.30. & seq. Sti-
 pulatio damni infecti 30.73. Stipulationes communes eod.
 Stipulationes iudiciales, & vnde sic dictæ, ibid. & quare in-
 terponantur 72. Stipulationes prætoria actionum instar
 sunt, ibid. Stipulationum diuisio a nemine adhuc recte
 tradita 30. 71. Stipulationum diuisio vera, ibid. Sub-
 stitutio conditionalis est institutio 27. 64. sit in defectum
 institutionis 15. Substitutionis reciproca spes ad cohære-
 dis cohæredes an transeat eod. Substitutus quando ad-
 mittatur in conditionibus ibid.
 Successionis verbum quid denotet 16.46

T

- Testamentum vt valeat, quæ requirantur circa institutionem
 filij 1.15. Testamenta quoquo modo sustineri debent 1.13
 Testatores solliciti omnem casum disertis verbis exprimere
 solent 11.40
 Turpitudinis causa nihil testamento relinqui potest 31.76

V

- Verba cum effectu accipienda sunt 7. 34. non sunt ociosa in
 legibus 18.50
 Verborum significatio in explicatione legum attendenda 22. 57
 Vincula quam vim habeant 15.44
 Voluntas magis quam scriptura in fideicom. attenditur 5.29
 Voluntas testatoris interpretationem accipit à lege & iure
 communi 18.51
 V usufructus quoquo modo amissus, redit ad proprietatem 18.50
 Vtile per inutile non vitatur 24.82

F I N I S.

INCL

10: circumline

incl

5
d. 14

AB: 71B $\frac{5}{d. 14}$


ULB Halle 3
005 135 990




circumfere

VONT







Farbkarte #13

B.I.G.



T L E V I
G E B E K I I
B V R G E N S I S I V -
I S C O N S V L T I

in
A L I Q V O T P E R D I F -
is nondum satis intellectas,
nouæ annotationes.

S I T R E R V M E T V E R
M I N I I S D E M P R Æ C I -
e memorabilium Index.

Recensuit

M V S C L V T E N P A R C H I -
mensis Megapolitanus.



F R A N C O F V R T I,
theo M A T T H I Æ B E C K E R I, *sum-*
P E T R I M V S C V L I & R V -
P E R T I P I S T O R I I.

Anno M. DC. IX.

2